GAILLARDI GVIRANI

IN

NEMAVSENSI SENESCALLIA PRÆSIDIALIQVE CVRIA REGII CONSILIARII,

ET IN

SVPREMA ARAVSIONENSI SENATORIS.

EXPLICATIO DVORVM VETVSTORVM NVMISmatum Nemausensium ex Ære.

Editio altera, auctior & emendatior.





ARAVSIONE,
Apud EDVARDVM RABANVM, Celsitudinis suæ, Vrbis & Vniversitatis Typographum.
M. DC. LVII.



DESIDER. ERASMVS *de ratione instit. discip. in princip.*


Tenenda Antiquitas quæ non modò ex vetustis Autoribus, verùm etiam è Numismatis priscis, è titulis, Saxisque colligitur.

PA. PETAVIVS *in Francorum Curiâ Consiliarius, in Veterum Nummorum Gnorismate.*

CVM NOVA TOT QVÆRANT NON NISI PRISCA PETO.



LECTORI.



ÆGRE fateor, Lector benevole, inductus ſum amicorum ſuaſu, vt hæc ſpecimina rei Antiquariæ retractarem, quæ olim in privatum vſum tumultuario opere de induſtriâ congeſſeram, ne in vulgus emanarent; coëgerunt tamen exemplarium defectus, & illi quos non indelectabant ejuſmodi minutiæ, manum operi iterum admovere, fœtúmque informem tollere, quem certo conſilio haud pridem in publicum abjeceram. Diſplicebat equidem, cum adverterem ea, quæ obelis & lituris aliquando transfixeram, in hoc opuſculum me inſcio irrepſiſſe, & nonnulla è ſedibus ſuis emota, quæ interpunctionibus incurioſè diſcreta, ſenſum verborum interturbabant. Cape igitur, candide Lector, ſecundas haſce curas profectò accuratiores, auſim dicere, & eruditiores;

nec enim solùm suis reddidi locis, quæ typographi incuria passa fuerat liberiùs evagari, ac in tam luxurianti Auctorum segete, vt antea constitueram, multa rescidi; sed & adjeci non pauca, quæ explanationem pleniorem & vberiorem desiderabant; ne quis fortè objiciat me pridiana obsonia, seu cramben, vt aiunt, recoctam nauseanti stomacho apponere. Præterea; Inscriptionem Nemausensem elucidavi, quam nullus, qui ad manus meas pervenerit, rei Antiquariæ Scriptor, explanaverat. Etenim viri alioquin politiorum literarum notitiâ clari, ac Antiquitatum disertissimi Oëdipi, dictionem in illo marmore exaratam incognitis accensuerunt, cùm significatum illius è ruderibus vetustatis eruere non possent: ego tamen existimo, me tam concinnam hujusce Inscriptionis interpretationem in medium attulisse, vt eam omnes qui harum rerum studio tenentur, ni fallor comprobaturos confidam, cum vetustatem sapiat, & veritati videatur esse consona. Tandem Virginem Lanuvinam, diu in tenebris reconditam, haud mediocri lumine perfudi, locósque indicavi, quibus adjuvari possint ad plura investiganda, qui res reconditas perscrutantur. Binos Nummos Nemausenses demum non satis accuratè ex Archetypo, à scalptore expressos, meliori formâ exhibeo.

Atqui dum hæc adornarem; nova mî facies, inopináve surgit. Deyronus Nemausensis quippe,

Libello de priſcis ædificijs Nemauſenſibus Gallicè edito, conatus eſt ſcripta mea carpere, & in pleriſque ab opinionibus meis & communibus diſcedere, Annæum Rulmannum, è cujus ſcriptis & ſchediaſmatis multa deſumpſit, vt plurimùm ſecutus. Verumtamen quicquid proponat, priorem ſententiam non muto: caput nempe cum Caſſide, rudiore formâ efformatum in Nummulo Nemauſenſi, cujus notitiam, vt puto, prior habui quàm Triſtanus à Sancto Amante, eſſe potius Martis, quam Nemauſi conditoris: tum ex ſimilitudine vultus varijs alijs Nummis impreſſi; tum alijs argumentis ac rationibus, quas non bene perſpexit prædictus auctor: ſed maximè quia Arecomici potiſſimùm, ſicut & Priſci Galli, rei militaris à parvulis perſtudioſi, quemadmodum notum eſt omnibus, MARTEM bellorum præſidem, illis *Heſum*, hoc eſt fortem, ſingulari cultu proſequebantur, ipſique Iovi anteponebant, atque Nemauſi parenti Herculi, quem *Ogmium* cognominabant, quod Deyrono haud compertum. Inſuper cum illuſtriſſimis & literatiſſimis Viris Michaële Hoſpitalio, Theodoro Bezâ, conſtanter affirmo, Pontis Gardij ſtructorem incertum & incognitum eſſe; probabiliúſque magnificentiſſimum opus iſtud, cui nec Gallia, nec Hiſpania, aut Italia ipſa, par habet, M. Agrippæ quam alijs adſcribendum; quia non tantùm militares vias in Gallijs ſtravit,

pontes erexit temporibus Augusti, sed plurimas aquas in Vrbes perduxit, & Nemausum fortassis; quæ, non dudum Colonia facta, Pomœrium suum proferri, ædificia magnifica excitari, mœnia turrita Romano more construi gloriabatur. Ideò Agrippa propter præcipuum in aquis deducendis studium, summámque diligentiam, titulum CVRATORIS PERPETVI AQVARVM, vel AQVÆDVCTVVM, Romæ postea obtinuit: neque literæ interpunctæ A. E. A. & Imago Isidis velatæ, ponti insculptæ, juvare possent opinionem illorum, qui existimant Hadrianum, Ægyptiorum superstitionibus admodum deditum, auctorem ædificij atque Aquæductus, ad vsum præsertim Amphitheatri nostri fuisse; námque certissimum est, nullum vestigium simulacri Isiaci, aut literarum Antiquæ notæ, in vllo Pontis loco inveniri: quæ licet extarent, nunquam tamen AQVAM EMISSAM AMPHITHEATRO significarent, vt sciunt pueri qui nondum ære lavantur; quin melius, AGRIPPA EST AVCTOR, aut quidpiam simile sonarent. In cæteris refellendis & coarguendis otio non abutar: Lectori studioso, Civibúsque nostris, veritatis amatoribus, dijudicandum relinquo, an verosimile sit, Vrbem nostram, semper à mari interno tribus aut quatuor leucis hodiernis ad minus distantem, inter maritimas à Geographis habitam, & Turrim Magnam

pro

pro munitissimo propugnaculo vsurpatam, Romanique, vt ipse fatetur operis, in vsum Phari ac speculæ ad navigantium cursus regendos ædificatam fuisse ab Asiaticis Phocæensibus (qui jampridem regnante Romæ Tarquinio Prisco Massiliam condiderant) oppidúmque amplissimum firmis crassisque cinctum muris, qui à Carolo Martello destructi, & magnâ parte labefactati fuerunt, non A. D. DCCXXXI. vt notavit nuperus scriptor, sed ad A. DCCXXXVI. in quo conveniunt Historici fere omnes: quorum murorum tantâ saxorum mole constructorum admirandæ quæ supersunt reliquiæ, satis convincunt, à Massiliensibus Phocæâ civitate oriundis ædificatos non fuisse; quandoquidem nec ipsos, domus suas è lapidibus, sed ex stramine cōfectas, quales fermè tum Gallis erant, tabulis & cratibus intextas habuisse, Scriptores fide digni memoriæ prodiderunt. Denique vtrum in statuâ bicorpore, impoliti operis, insertâ parietibus ædium Tristandi Dagulhonet pauperum patroni, Antiquitatum patriæ conservatoris diligentissimi, muliebria genitalia deprehendantur, ignaviam populis subactis exprobrantia, ex Sesostris Regis Ægypti vsu solenni: Et num potius Simulacrum istud à Nemausensibus erectum fuerit, in monumentum Victoriæ, quam Hercules Ægyptius, non equidem de Geryone tricorpore in Hispanijs, vt conjectat Albenas noster, sed de Albione &

Bergione gigantibus, Neptuni filijs, in campis lapideis, vulgi appellatione *La Crau* (à Celticâ voce *Craig*, id est petra) prope Arelaten retulit, adjutus imbre lapidum cœlitùs demisso: idcircò, si jocis indulgere licet, Colosso lapideo ab illis qui eum concinnarunt, impositum fuit caput elegantissimum è marmore cinereo, Neptuni, vt videtur, capillis barbâque promissis, vndarúmque fluctuantium modo compositis: Nec vllum memini qui vnquam dixerit, aut asseveraverit, Statuas duas, vel tres, è durissimo saxo, hominum justâ magnitudine, occiput manibus vtrisque comprimentes, non longè ab Amphitheatro positas, mulierum esse: Quinimò manifestum Mimorum aut Saltatorum esse, varios gestus, motus, actiones, in spectaculis repræsentantium. Sicut Athletarum inter se decertantium par, Amphitheatro incisum, typus & symbolum est Ludorum gladiatoriorum, qui in illo celebrabantur: quemadmodum optimè, antiquæ & reconditæ doctrinæ vir, prout ferebant tempora, Albenas, cæteríque rerum Nemausensium Scriptores censuêre; congruentius etiam instrumentorum publicorum auctoritati, aliísve conjecturis innixi, Campum Martis extra muros, haud procul ab Amphitheatro, Vistróque fluviolo ponentes; semper ad industriæ Romanorum æmulationem, qui campum istum Tiberi vicinum habebant, quò magis natandi modum æstivis mensibus Tirones

cond

condiſcerent, quàm quo loco intra Vrbem deſignavit Deyronus Cap. VI. non mentem dumtaxat, ſed & verba, (quis crederet?) chartæ Raimundi V. An. M. C. XCIV. Septembr. XV. mœnia inſtaurari permittentis, penitus immutando. Et inſuper inutilem efficiendo vnam ex Inſignioribus Portis antiquis, geminis Turribus rotundis munitam, vt fere omnes, quarum attamen deſignationem, necnon ſeptem collium, quibus muri impoſiti erant, in deſcriptione ambitus ac circuitus Nemauſi veteris, ab ipſo expectabamus.

Hæc ſunt, Lector amantiſſime, de quibus te monitum volui: vt hanc qualemcumque opellam boni conſulas, & fruaris; donec alia ediderim, è quibus fortaſſe majorem voluptatem capias: faxit Deus vt per valetudinem, & otium liceat. Vale.





G. GVIRANI EXPLICATIO DVORVM VETVSTORVM NVMISMATVM NEMAVSENSIVM EX ÆRE

Vbi sequentia tractantur & illustantur.

NVMMI *Veteres diversæ materiæ & notæ, frequentes etiamnum in Provincijs olim Romano Imperio subditis. Ærei duo Nemausenses repræsentantur, & illustrantur. De grandiusculo præferente capita* OCT. AVGVSTI, *&* M. AGRIPPÆ, *non M. Aurelij Antonini & L. Veri Imperatorum, nec Tiberij & Drusi. Literarum singularium, dictionúmque abbreviatarum* IMP. DIVI. F. P. P. COL. NEM. *quæ in*

vtraque Nummi parte leguntur, vera significatio. Definiuntur tempora & periodi, quibus Octavius Cæsar, DIVI FILIVS. IMPERATOR. AVGVSTVS. PATER PATRIÆ. *cognominatus est, additurque ratio cur cæteri Imperatores titulum Patris Patriæ etiam sibi asseruerint. M. Agrippæ corona rostrata ab Augusto Imp. concessa; & honores immoderati propter ingentia merita in ipsum collati. Laurea & civica corona Augusto in perpetuum decretæ.* NEMAVSVS *præstantissima Respublica, non Vectigalis, nec Stipendiaria liberis Reip. Romanæ temporibus, postea nobilissima* COLONIA *beneficiis Augusti gratiosa; ejus tamen insolens & insanus cultus severè notatur. De Deo Nemausensium, & Cerulis duabus argenteis, quædam nondum intellecta in medium proferuntur. Expositio recta traditur Imaginum in aversâ Numismatis fronte expressarum: plurimáque de Crocodilis, Palmis, & Lemniscis, Coronis Triumphalibus, ac Civicis, déque earum vsu congeruntur. Superstitio & levitas Ægyptiaca obiter redarguitur.* NEMAVSVM *septicollem, Romæ æmulam, Sacerdotes & Magistratus suos, necnon Templa, Ædes, Muros firmiores quam priscos Gallicos, Pontes, Aquæductus, Vias munitas, Basilicas, Capitolium, Amphitheatrum cum campo Marti sacro, Balnea, Palatia, ad Vrbis effigiem & similitudinem habuisse probatur. Præ-*

tor

toria, ac Villæ in Nemausensi agro, quæ adhuc antiquum nomen retinent, à civibus Romanis, ibi degentibus, excitatæ. Tabulæ, & monumenta publica characteribus Romanis inscripta. Nummi percussi, gemmæ variâ arte elaboratæ. FRANCISCI I. *Francorum Regis, Diploma, quo Nemausensibus conceditur, vt annulis signatorijs, & Parmæ tesserariæ miniato laterculo Icones, in alterâ Numismatis perantiqui parte delineatas, imprimant; & in posterum pro insignibus habeant. Imperitia rudium Nemausensium, & pictorum dissidium, in describendo & interpretando scuto symbolico.*

DE *Altero minutulo Nummo, & capite galeato in orbe priori expresso,* NEMAVSI *vrbis nostræ fundatoris, vel potiùs* MARTIS *apud Gallos, & Arecomicos præ cæteris Volcis strenuos, præcipuè culti. De Tauro & Ariete* MARTI AVGVSTO EX VOTO *immolatis, ad portam Coronæ lapidi vetusto insculptis, necnon de Votorum nuncupatione & solutione. De Deâ* HYGIA, *sive* SALVTE, *ac Serpentibus sacris. De Draconibus cicuribus & mansuetis, atque Lanuvinâ Virgine quotannis Virginitatem probante. Dracones Palladi, seu Minervæ etiam dicati. Telesphorus cucullatus Æsculapij comes, & minister. Statua elegantissima, è marmore candido, Deæ Salutis, cornu-copiam gerentis, Ne-*

mausi in munimentorum fundamentis reperta, lucique reddita anno M. DC. XXII. *Dea* SALVS *modò sedens, modò stans à pictoribus, sculptoribus, ac monetarijs effingebatur.*




E Incredibili Numismatum vetustorum copiâ, Romanorum maximè, quæ adhuc NEMAVSI supersunt, & quotidie ex ipso terræ sinu, atque sepulcris antiquis eruuntur, tàm ipsâ notarum typorúmque diversitate, quàm pretio & materiæ nobilitate spectabilium, *Antiquitatum nostrarum Nemausensium Lib. I. Cap. VI. & in Tractatu de re Nummariâ Veterum*, in vsum meum conscripto abundè dicimus: vbi plurimorum interpretationem judicio nostro satis congruam damus. Quamvis enim vetustas ipsa multa absumpserit, & longè plura in varios vsus conflata fuerint; dandum tamen hoc immensæ & fatali Romanorum potentiæ, quòd minimè exhausti ejusmodi Nummi, passim etiamnum, & abundanter per omnes terrarum oras diffundantur, & præsertim in regiones olim Romano Imperio subjectas.

Hîc considerandi tantùm, & discutiendi veniunt *vetusti duo*, qui tunc in civitate nostrâ procudebantur; in quorum aversis partibus inscriptū characteribus Romanis COL. NEM. vel NEM. COL.

Major

Majoris ſemuncialis affabrè ſcalpti, qui & hodie Vrbis ſigillum & inſignia, vt oſtendetur inferiùs; atque altero minore frequentioris, veram figuram, quam è multis delegi, hîc ſubjicio.



In anticâ parte conſpiciuntur duo capita averſa, quorum alterum coronâ roſtratâ; alterum verò laureâ ac triumphali inſignitur. Supernè IMP. ad latera PP. inferius DIVI F. in poſticâ, crocodilus gradiens, palmæque ramuſculos calcans, catenâ ferrea religatus ad palmam lemniſcatam, cui annexa eſt corona quernea, crocodili caudæ imminens, cum literis COL. NEM.

Numiſma iſtud ex ære (vnicum argenteum ſe vidiſſe aſſeveravit Tornerius Nemauſenſis, nummorum veterum curioſus indagator) graphicè deſcribitur ab egregio auctore Antiquitatum Nemauſenſium cap. XX. qui imagines eſſe arbitratur M. Antonini philoſophi, & L. Veri, averſâ facie non obverſâ (quo ſitu ferè ſemper pinguntur Imperatores, qui ſimul Imperij habenas tenuerunt)

vt diverſam illorum indolem, & ingenium oſtenderent Nemauſenſes. Marcus Aurelius Antoninus quippe, optimi ac ſapientis nomen meruerat: Verus autem in Imperij conſortium adſcitus anno Chriſti CLXIII. moribus corruptis, in fœdas voluptates effundebatur, animi fluxioris, remiſſioríſque vitæ: ideóque notas IMP. DIVI. F. P.P. ita conjungens, ſic exponit: IMPERATORES DIVI FRATRES PATRES PATRIÆ. per Crocodilum palmæ alligatum, Ægypti, jam in Provinciam redactæ, rebellionem à prædictis Impp. auſpicijs Avidij Caſſij repreſſam ac coërcitam notari, & per haſce literas COL. NEM. COLONIAM NEMAVSVM intelligi, illíſque temporibus Nemauſo in Ægyptum coloniam deductam: quæ omnia, inquam, affirmat Auctoribus Iul. Capitolino, Eutropio, Auſonio, Aurelio Victore. Albenatem ſequitur Petrus Borellus Medicus Regius, Celticorum vocabulorum nomenclator peritiſſimus, Antiquitat. Caſtrenſ. pag. 109.

Iacobus Graſſerus Baſileenſis diſſertatione de Antiquitat. Nemauſenſibus Tiberium & Druſum Nerones, Liviæ filios, juvenili facie hîc exhiberi judicat, & ſic literas adſcriptas legit & interpretatur: IMPERATORIS PATRIS PATRIÆ DIVI FILII. *Plurimis enim teſtimonijs conſtat* (inquit) *Auguſtum privignos iſtos filiorum loco,*

paterno prorſus amore proſequutum.

Verùm probabilius ab hâc ſententiâ recedunt celeberrimi nummographi, cum veteres, tum recentiores.

Nam Æneas Vicus Parmenſis, qui primus omnium, niſi fallor, partes alteras Nummorum explanavit, in Auguſtarum imaginibus & vitis, ad Agrippinæ M. F. Numiſmata, icones eſſe cenſet M. Agrippæ coronâ aureâ roſtratâ ornati, & Octaviani Auguſti laureati, à tergo verò Crocodilum, palmámque arborem, ſignum Coloniæ Nemauſenſis.

Sebaſtianus Erizzo nobilis Venetus declarat. Nummor. Imperator. in Auguſto, idem ſentit; tradens inſuper hujuſmodi numiſma à NEMAVSO COLONIA effictum, in Auguſti honorem, & victoriæ Actiacæ argumentum, Ægyptíque in Provinciæ formam ab eo primùm redactæ, M. Agrippæ ductu & auſpicijs, *quem ideo Octavius aureâ Coronâ, roſtris navium inſignitâ, donavit:* vel, vt alij aſſerunt, multò ante ob res proſperè geſtas contra Sext. Pompeium Cn. F. & Siculos, quorum triginta naves depreſſerat. Velleius Paterculus Hiſt. Rom. lib. poſteriore cap. LXXXI. *Inſigne corona claſſicæ, quâ nemo vnquam Romanorum donatus erat, hoc bello Agrippa ſingulari virtute meruit.* Dio lib. XLIX. pag. 457. *Edit. Græcol.* Henrici Stephani. *Agrippam aureâ coronâ roſtratâ*

donavit, quod neque ante, neque post eum contigit ulli. Et Livij Epitomè CXXIX. *M. Agrippa navali coronâ donatus est, qui honos nemini ante eum habitus erat.* Etsi aliter visum Plinio non dubitanti affirmare Histor. Nat. Lib. VII. Cap. XXX. & Lib. XVI. IV. Ante Agrippam *Marco Varroni* in piraticis bellis à Pompeio Magno concessam fuisse coronam navalem, seu rostratam; cui assentiendum opinatur Vir magnus Lib. V. de Militiâ Romanâ, Dial. XVII.

Et cùm ab anno Vrb. cond. DCCXXI. plurimæ periodi victoriæ Actiacæ notentur à Iosepho Scaligero de emendat. Temporum, lib. V. & Isac. Casaubono, ad Suetonij caput XVII. in Augusto: Hubertus Goltzius antiquarius diligentissimus Fastor. ac Triumphor. Rom. pag. 203. existimat insignem istum Nummum conflatum fuisse à Nemausensibus, post Triumphi celebrationem Romæ factam, mense Sextili anno Vrb. cond. DCCXXIV. vel rectiùs DCCXXV. ex Dionis Lib. LI. & LII. princip.

Accedit Adolphus Occo Medicus Augustanus Impp. Romanor. Numismat. in M. Agrippâ: quapropter cùm epigraphe digniorē, Octavium nempe, præferat, ac demonstret, legendum: IMPERATOR DIVI FILIVS PATER PATRIÆ.

Ita etiam Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis, fulgidissimum rei Antiquariæ sidus,

de

de veterum Numiſmat. Antiquitate, Dial. II. & VI. & Antonius Piſo Doctor Medicus in tractatu Gallico, & deſcriptione Numiſmatum pulcherrimorum cum figuris, pag. 102. qui ſententiam Albenatis ſuggillat; quia per IMP. & vnicum F. nunquam in inſcriptionibus veteribus, & Nummis, IMPERATORES & FRATRES intelliguntur; ſed per duplex PP. IMPP. F. autem Filius, vel Facit, plerumque ſignificat, apud Valerium Probum, Petrum Diaconum, Petrum Apianum, Hubert. Goltzium, & alios grammaticos notarum expoſitores. Cōcordat tamen cum Albenate in explicatione verbor. COL. NEM. COLONIA NEMAVSVS, vel NEMAVSVM, (vtroque enim modo dicitur) aut NEMAVSENSIS. NEMAVSENSIVM. itidem, non COLVBER NEMAVSENSIS, vt in diplomate Franciſci I. inferius deſcripto: nec COLLIGAVIT NEMO, vt nugatur Claudius Paradinus ſymbolic. heroic. fol. 88. cujus opinionem jam exploſam demiror amplexatos fuiſſe viros ſummos Vlyſſem Aldrovandum Patricium Bononienſem in Hiſtoriâ Animalium de Quadruped. digitat. ovipar. Lib. I. pag. 688. Petrum à Sancto Romualdo Congregationis B. Mariæ Fulienſis Monachum, Theſauri Chronologici & Hiſtorici Tomo I. in Auguſto Cæſare, M. Vulſonem à Columbariâ Teſſerar. Gentilit. Lib. VI. Petrum Andoque Senatorem Bliterenſem

in ſuis Galliæ Narbonenſis Annalibus, Lib. III.

Pro noſtrâ communi opinione ſtat præterea eruditiſſimus Pierius Valerianus Hieroglyphic. XXIX. pag. 270. vbi COL. AEG. perperam pro COL. NEM. legitur: & Gulielmus Catellus Senator Toloſanus, optimè de poſteritate meritus, Commentariorum de rebus Occitaniæ Lib. II. Cap. V.

In prædicto Numiſmate Octavius IMPERATOR, ſive ſummus Monarcha, appellatur: quia jam prænomen iſtud acceperat ab anno vrb. cond. DCCXVI. Occo in Auguſto, pag. mihi 45. & 46. Goltzius Faſtor. Rom. pag. 193. ex Fulvij Vrſini Lib. de familijs Romanorum *in Iuliâ*, qui Dionem notat contrarium Lib. LII. ſentientem anno nempe DCCXXIV. de quo tamen legendus Caſaubonus ad Suet. Cap. LXXVI. in Iulio.

AVGVSTVS ex potiore ſententiâ & conſilio L. Munatij Planci, Auguſto ipſo VII. & Agrippâ III. Coſſ. anno Vrb. cond. DCXXVII. vt vult Caſaubonus ad Cap. VII. Suet. in Aug. ex Dione, Lib. LIII. vel vt alijs placet ab anno DCCXXVI. Faſti Conſulares à Dionyſ. Gothofredo editi ad finem Cod. Iuſtinianei. Nicolaus Vignierius Biblioth. Hiſtor. ideoque in Numiſmate noſtro, antea ſignato, Octavius illo cognomine non inſignitur.

Sed quomodo, inquies, per duplex PP. PATER

PAT

PATRIAE intelligendum? cum à Senatu populóque Rom. cognomen iſtud Auguſto Cæſari delatum tantùm fuerit anno Vrb.cond. DCCLVIII. juxta Caſaubonum ad Suet. Cap. LVIII. vel anno DCCLVII. vt placet Vignierio, Calviſio in operibus Chronologicis, quo tempore Vipſanius Agrippa, in Numiſmate Nemauſenſi repræſentatus, obierat in Campaniâ anno Vrb. cond. DCCXLII. Dio Lib. LIV. Rectius igitur per PP. Publicè Poſuit, vel Pecuniâ Publicâ, aut quid ſimile exponendum in hunc ſenſum. IMPERATORI DIVI FILIO PVBLICE POSVIT COLONIA NEMAVSVS, literas vtriuſque frontis, vt ſæpe fit, ad hunc modum copulando.

Reſpondeo, quòd Romæ quidem tunc temporis authoritate publicâ Auguſtus PATER PATRIÆ cognominatus eſt, ſed quin antea adulatoriè ad exemplum Iul. Cæſaris (Suet. in Iul. cap. LXXVI. Dio lib. XLIV.) patris ſui, à plurimis ita appellatus fuerit, negare nullus poteſt; cùm illud probare facilè ſit, non tantùm ex celebri Numiſmate noſtro, ſed ex pluribus quæ recenſentur ab Occone, à V. Conſulatu Auguſti, ſeu anno Vrb. cond. DCCXXIV. pag. 50. 51. 52. 60. 62. 65. & Goltz. Faſtor. pag. 201. 203. vbi PATER PATRIAE, vel PARENS PATRIAE inſcriptum, non modò literis ſingularibus, ſed ſyllabis, & plena dictione verbíſque integris.

Cognomen autem iſtud ab omnibus Imperatoribus aſſumptum, vt oſtenderent ſe in cives eamdem poteſtatem habere, quam patres in liberos. Maria Catanæus in Plinij Trajanum pag.28. Cæſar Bulengerus de Imperatore Rō. Lib.I.cap.17.quod tamen initio non hâc de cauſâ Auguſto decretum. Verùm vt ille, & cæteri deinceps admonerentur, vt eos quibus præeſſent tanquam filios amarent, & vt ipſi à civibus patrum loco colerentur. Dio Lib. LIII. pag.583. Interpretes ad cap.LVIII. Suet. in Auguſto. Cæterum ante D. Iulium & Octavium primus omnium *Romani proximus auctor Tullius eloquij*, conſervatâ patriâ in conjuratione Catilaniarâ *Pater Patriæ* à Q. Catulo, ac M. Catone frequentiſſimo Senatu nominatus fuerat. Plin.VII. 30. Iuvenalis Satyr. VIII. verſu 244.

Sed Roma parentem,

Roma Patrem Patriæ Ciceronem libera dixit.

Negotium non faciet, quod in iſto numiſmate, Agrippa quodammodo AVGVSTO adæquatur; quia etiam antequam illius gener eſſet, Imperatori admodum carus & familiaris erat: & cùm Agrippa prudentiſſimus ac ſummopere moderatus eſſet, rebus benè geſtis & gloriâ belli excellens, illum *quamvis ignobilem loco* (ipſi Mæcenati præponens) honoribus inauditis proſequutus eſt Auguſtus, & vt verbis Galbæ apud Tacitum vtar Hiſtor. 1. pag. mihi 408. *in proximo ſibi faſtigio collocavit.*

Dio

Dio Lib. LIV. pag. 605. *quodammodo ad Imperium provexit.*

Annulum ſuum ſignatorium ei commiſit, Dio Lib. LI. in princip.

Et ſi quando ſimul in bellum proficiſcerentur, tabernaculum ſuo ſimile dedit, ac ſignum militare vt ab vtroque acciperetur, juſſit. Idem Dio initio Lib. LIII.

Poſteáque Lucium & Caïum Agrippæ filios adoptavit, Dio dicto Lib. LIV. pag. 610.

Imò mortuum laudavit, & in ſuo Mauſolæo condidit. Occo in Agrippâ.

Piſo Lib. citato Cap. VI. affirmat plures nummos vidiſſe, in quorum priori orbe vultus Auguſti & Agrippæ, vt in Nemauſenſi, appoſiti: & Erizzo in Auguſto nummum aureum exhibet, in quo corona roſtrata, & in medio literæ majuſculæ C. A. hoc eſt CÆSAR. AGRIPPA. Meneſtr. Numiſmatum pag. 21. ejuſmodi.



Quos tamen nummos non temerè, & inconſulto

Principe in eam formam cuſos putamus: quod etiam obſervavit Ludovicus Savotus Medicus Pariſienſis de re Nummariâ Parte I. Cap. III.

Coronâ roſtris navium ornatâ juremerito donatus eſt, vt jam diximus, Agrippa ab Auguſto (Imperatores námque jus iſtud ſibi ſolis vendicabant, vt colligitur ex Tacito Annal. III. pag. 106. Suetonio in Aug. XXV. & Tiber. XXXII.) propter devictos Sext. Pompeïum in Siciliâ, Antonium & Cleopatram, *Regum Reginam*, apud Actium Epiri promontorium, celeberrimis prçlijs maritimis. Dio Lib. XLIX. & LI. Suet. Auguſto Cap. XVI. & XVII. Quæ corona in ſummo pretio erat, & dabatur ei, qui primus in hoſtium navem vi armatus tranſilierat; aut Ducibus, qui navale aliquod magnum decus magnâ induſtriâ ſibi pepererant. Eam ſoli civicæ poſtponit naturæ Myſtes vnicus Lib. jam citato XVI. Cap. IV.

Corona laurea, ſive triumphalis, quâ Auguſti caput cingitur, antiquitus Cæſarum geſtamen erat, vt & triumphantium. Suet. Iulio Cap. XLV. & Tiberio Cap. XVII. Plinius Lib. XV. Cap. vltimo. Gellius V. Attic. Cap. VII. vbi notat mutatam poſterioribus ſeculis materiam; & pro lauro, creſcente luxu, aurum ſuppoſitum. Pomp. Feſtus. *Triumphales coronæ ſunt quæ Imperatori Victori aureæ præferuntur, quæ temporibus antiquis propter paupertatem laureæ fuerunt.*

Sed

Sed cur Crocodilus numiſmati Nemauſenſi inſculptus, vt & in alijs Iulij & Auguſti Impp. Ægypti ſymbolum? Quia licet alibi naſcatur, attamen Ægypti peculiare animal cenſetur; & Plinio Lib. VIII. Cap. XXV. Nili animal dicitur: à Poëtis *Nilicola, Niligena, Niliacus*, & Ægypto, ſuperſtitionum matri, infamia hæc eſt objecta, quòd monſtra coleret, & inter alia ſacra præcipuè crocodilum adoraret, quod *execrandum* videtur, non ſolùm ſapientiæ Cap. XV. 18.& 19. Euſebio præpar. Evangel. II. Cap. I. ſed & ipſi Auguſto *ridiculum* apud Dionem Lib. L. pag. 496. & Lib. LI. pag. 520. Iuvenali Satyr. XV. in princip. *inſanum.*

Quis neſcit, Voluſi Bitthynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc, &c.

Cùm enim quidam eos interficerent, vt Tentyritæ; ideò *Pars hæc* Ioanni Britannico, Commentatori diligentiſſimo, ſunt illi qui apud Meridem lacum habitant. Queis addit Ombitas, Coptitas & Arſinoïtas Laurent. Pignorius expoſit. menſæ Iſiacæ, pag. 21. & 27.

Adorationis cauſa, quòd crocodilus ſolus inter animantes elinguis Plin. Lib. VIII. Cap. XXV. ideoque ſilentij hieroglyphicum; imò Divinitatis, ad quam ſilentium maximè ſpectat. Plutarch. de Iſide & Oſiride ad finem. Deus enim ſub alto & profundo ſilentio cuncta mortalium opera dili-

examinat, omniúmque merita intuetur. Aldrovandus Lib. cit. p. 689. Diodorus Lib. I. Cap. IV. rerum Antiq. & Britannicus alias adorationis caussas tamen afferunt.

Crocodilus porrò religatus cernitur: non solutus libérque, vt in Nummis Iul. Cæsaris, in quibus inscriptum ÆGYPTO CAPTA apud Scriptores rei monetariæ: quia Augustus prior Ægyptum penitus subegit, tributariámque reddidit. Strabo Geograph. XVII. pag. 548. quod pater Iulius non ausus fuerat, sed Regnum illud Cleopatræ, fratríq; ejus minori permiserat, anno vrb. cond. DCCVII. veritus provinciam facere, ne quandoque violentiorem præsidem nacta, novarum rerum materia esset. Suetonius Iulio Cap. XXXV. cui incõmodo vt remedium adferret Augustus, rei politicæ peritissimus, Præfectum Ægypto præposuit, qui eam *loco Regum regeret.* Strabo ibid. & Tacit. Histor. I. pag. 406. Is vocatur *Præfectus Augustalis* apud Iustinianum Digest. & Cod. cujus sedes Alexandria. Tacit. II. Annal. pag. 81. Suet. Tiber. Cap. LII. Non audens prudentissimus Imperator eam provinciam vlli Senatori committere, propter gentis levitatem, & regionis vbertatem, claustráque terræ & maris: quin & in illam proficiscendi potestas nemini fuit, nisi Princeps ipse nominatim concessisset, *quod inter alia Dominationis arcana.* Tacit. & Suet. ibid. Dio Lib. LI. pag. 521. Arrianus Lib. III. de vitâ

Alex

Alexandri, asserit Romanos ab illo edoctos fuisse Ægyptum eo modo custodire; nec quemquam Senatorij ordinis eò mittere: sed aliquem ex Equestri, non illustrem tamen.

Palma, quâ Symbolicus nummus insignitur, proculdubio victoriæ Augusti de Ægypto argumentum firmissimum; *quoniam ingenium ejusmodi ligni est, vt vrgentibus opprimentibúsque non cedat.* Gellius Lib.III. Cap.VI. ex Plutarcho. Vrsinus in denario Sicinij, in quo ramus palmæ cum coronâ laureâ victoriæ partæ monimentum. Livius Lib.X. ad finem notat anno vrbis cond. CCCCLXI. Romæ tùm primùm victoribus palmas datas, & coronas, translato è Græciâ more, de quo Pausanias Lib. VIII. & Libanius Sophista in Elogio palmæ & pomi Tomo II. Sermone VI. Vide etiam L. 1. Cod. de Princip. agent. in rebus Tit.XXII. Lib.XII. vbi *palma* pro victoriâ ipsâ vsurpatur à Gratiano, Valentiniano, & Theodosio Imppp. Et rescriptum Severi & Antonini Caracallæ relatum ab Vlpiano in L. 1. §. 12. D. de extraord. cognit. Qui præmium, quod Advocatis Victoriæ causâ in judicio dabatur, vocabulo sat singulari, nec Iuris interpretibus prioris ævi cognito, *Palmarium* nuncupant: nam & in togatâ militiâ causarum patronis Victoribus Palmæ dabantur, quas domum referebant, vt januas adornarent. Iuvenal. Sat. VII. v. 118. præ omnibus Martial. Lib. VII. Epigr. XXVII. ad Fuscum Causidicum.

Nec solùm palma victoriæ nota, sed & hilaritatis, partâ jam de hostibus victoriâ. Apocalyps. VII. 9. Esdræ IV. Cap. II. 46. Vnde novimus quapropter Dominicâ Palmarum Christum Servatorem Hierosolymis Hebræi acceperint, occurrentes cum ramis palmæ atque oleæ. Augustinus Dial. II. nummos Augustarum enuntiat, ex quibus hæc facillimè probantur.

Advertendum etiam, Lemniscos è palmâ pendulos, non inutiliter poni in latere sinistro numismatis: in quibusdam, in vtroque.

Lemnisci, Siculum vocabulum Hesychio, Græcis sunt tæniæ strictæ, angustæque. Casaubonus in Athen. Lib. V. Cap. VII. Turnebus adversar. Lib. XVII. Cap. III. Festo *fasciolæ Coloriæ* (ita restituit Scaliger) *dependentes ex coronis* de quibus Plinius Lib. XXI. Cap. III. Politianus miscellaneor. Cap. LXXII. Nummos & marmora, in quibus Lemnisci, prout in nostro nummo apparent, referunt Vrsinus in gente Corneliâ & Siciniâ, & El. Vinetus not. ad Ausonij Epist. XX. n. 469. D. sic.







Coronæ iſtæ Lemniſcatæ in magno honore erant. Plinius loco citato, & Lib. XVI. Cap. XIV. Pamelius annot. ad Tertull. de coronâ militis, Cap. XII. n. 159. & Claud. Salmaſius Criticorum noſtri ſeculi facilè princeps, notis ad Vopiſc. Servius ad Lib. V. Æneid. verſu 270.

Puniceis ibant evincti tempora tænijs.

Non dumtaxat coronæ, ſed etiam palmæ, in nobiliori victoriâ lemniſcis ornabantur, & in præmium victoribus dabantur. Auſonius ibid. verſu 5.

Et quæ jam dudum tibi palma poëtica pollet,
Lemniſco ornata eſt, quo mea palma caret.

Sed meliùs Sidonius id exprimit de Valentiniano III. ita canens Carm. 23.

Hic mox præcipit æquus Imperator
Palmis ſerica, torquibus coronas
Conjungi, & meritum remunerari.

Quippe coronis torques, & palmæ ſericis, hoc eſt ſericatis tænijs nectebantur. Io. Savaro Sidonij Interpres accuratiſſimus, & ante illum Ioſephus Scaliger, immortale literarum decus, Lib. I. Auſonianarum lectionum Cap. X. Henric. Salmuth. notis doctis ſanè ac laborioſis ad Guid. Panciroi. rerum memorabilium Lib. I. de Triumphis, & Iacobus Chiffletius, qui Veſontionis ſuæ Parte I. Cap. XLII. L. Veri Numiſma aureum exhibet, in quo imago victoriæ alatæ cum lemniſcato ſerto in

manibus cernitur, cum literis in ambitu. VICT. AVG. TR. POT. VI. COS. II. victoriæ ab Imperatore illo de Parthis reportatæ nota certissima. En aliud Antonini Caracallæ apud Iacob. Biæum Nomismat. Imperat. Tab. LIV. in cujus altero latere, Victoria gradiens Coronam lemniscis insignem dextrâ gerit, sinistrâ palmam: & circum orbem. VICTORIA PARTHICA MAXIMA, de quâ Spartianus in vita illius.

Corona, quæ Palmæ ramo alligata est, in nonnullis nummis pensilis, an è quercu, lauro, aut ex aliâ materia non facilè dignosci potest, ob tenuitatem & exilitatem. Quernam tamen fuisse certò crediderim; quia cæteris nobilior. Plin. Lib. XVI. Cap. IV. & illâ donabantur qui civem in prælio servaverant, & eodem tempore hostes prostraverant. Plutarchus in Coriolano. Et ob id concessa Iulio in expugnatione Mitylenarum. Suet. Cap. II. & deinceps omnibus Cæsaribus tanquam vniversi orbis servatoribus. Plin. ibid. Ideoque in eorum vestibulis aut foribus perpetuò ponebatur. Suet. de Tiberio Cap. XXVI. *& Civicam in vestibulo coronam recusavit*, Ovid. 1. Metamorph. Fab. 9. vers. 562. ita cecinit.

Postibus Augustis eadem fidissima custos,
Ante fores stabis, mediamq; tuebere quercum.

Valerius Maximus Lib. II. Cap. VIII. in fine. *Cæterùm ad quercum pronæ manus porriguntur, vbi ob cives*

cives servatos corona danda est, quâ postes Augustæ domus sempiternâ gloriâ triumphant. Videsis Tiraquell. in Genial. Dier. Alexandri Lib. III. Cap. XXVII. & VI. Cap. VI. Et quod docet Dio Lib. LIII. pag. 580. Octavio Cæsari nempe, cùm orationem de ejurando Regno, dividundísque provincijs, habuisset, multos honores delatos: vt scilicet ante ipsius domum in Palàtio lauri ponerentur, ac super eas coronæ querneæ suspenderentur, quòd perpetuus hostium victor, ac civium esset Servator. Adde cum Suet. Cap. LI. omnium clementissimus. Non abs re igitur coloni Nemausenses civicam coronam Augusto offerunt, & publico atque perenni monumento dedicant; quia etiam in pugnâ Actiacâ multis civibus Romanis, Antonij partes sequentibus, lubenti animo pepercerat, exemplo paterno; quam erga Antonianos summam *lenitatem Ducis* sic extollit Velleïus, supra laudatus Lib. II. Cap. LXXXV. *citiúsque vitam veniámque Cæsar promisit, quàm illis vt ea precarentur persuasum est.* Et postea. *Victoria verò fuit clementissima; nec quisquam interemtus nisi paucissimi, & ij qui deprecari quidem pro se non sustinerent.*

Quid literæ Romanæ IMP. DIVI F. PP. & COL. NEM. significent, ostensum. Iam observandum venit, quod cùm Galli veteres eo sermone vterentur, quo hodie Helvetij: vel, vt placet P. Ramo de morib. vet. Gall. Aremorici, seu Britanni

Celtici : *Nemausensibus*, vtpote Rom. Imperio subditis, nisi latinè scribere, saltem in monumentis & tabulis publicis, nefas, & incivile; vt constat ex Valerio Maximo Lib. II. Cap. II. Sect. II. & ex fragmento faceti testamenti civis Nemausensis, ad portam Coronalem extantis, innumerísque lapidibus inscriptis. Hoc enim inter arcana Imperij Poëtarum Principi XII. Æneid. versu 821. *victoriæ lex*, vt sermonem Romanum per omnes terrarum oras diffunderent, pulsâ protinus omni barbarie ac morum feritate; sicut loquitur Libanius, panegyrico IMP. Iuliano Cos. dicto, Orat. VIII. tùm etiam sacra, & leges omnibus communicarent: Strabo Lib. III. & XII. B. Augustinus de Civit. Dei, Lib. V. Cap. XVII. & Lib. XIX. Cap. II. Critognatus Arvernus, vir asper & intractabilis, apud Cæsarem Commentar. Lib. VII. de bello Gall. Cap. XIV. irâ concitatus sic suos increpat. *Quod si ea quæ in longinquis nationibus geruntur, ignoratis; respicite finitimam Galliam* (Narbonensem) *quæ in provinciam redacta, jure & legibus commutatis, feris securibus subjecta, perpetuâ premitur servitute.* Quamobrem Europæ quædam regiones impræsentiarum non alio jure, quàm civili, reguntur, & præsertim patria nostra linguæ Occitanæ, ex pacto & antiquis concessionibus, à Francorum Regibus cõprobatis, & disertè in Tolosatium vnione expressis; de quâ, & duabus alijs conditio-

nib


nibus,de quibus cum Principe (Philippo III. vt nonnulli testantur) conventum, vt nempe Regij tantùm stemmatis Prætoribus Provincia decerneretur,& ne indictiones ipsi imponerentur nisi prius habitis Populi Comitijs, ac de omnium ordinum sententiâ, Chopinus de Doman. I. Cap. VII. G. Benedictus in Cap. Raynutius, verbo *& vxorem*, N. CCCCXCIX. vnus instar omnium. Casanova, in elegantissimâ diatribâ de jure allodij in Septimaniâ instituto, & vindicato, Lib. I. Cap. VI.

Sed vt eò revertamur vnde digressi sumus; non diutiùs hęrendum in expositione verborum COL. NEM. idest COLONIA NEMAVSVS, quæ acceptarum ab Augusto gratiarum, ac beneficiorum memor, nummos istos sedulò ex ære feriundos curavit ingenti copiâ, post triumphum,vt diximus, in vrbe peractum, anno V.C.DCCXXV. Vignierio, Petavio, & alijs Chronologiæ peritis, de Ægypto captâ, sociatis laboribus & operâ M. Agrippæ ducis strenui, *militiâ boni*. Hoc enim obseruari solitum,non solùm Romæ, sed & in provincijs, vt egregia facinora, atque res bello feliciter gestæ, publicis numismatum monumentis impressæ, in hominum memoriam revocarentur: &, quantùm in ipsis erat, immortalitati, æternitatíque consecrarentur; additis nonnunquam vultibus & imaginibus, ad vivum expressis, eorum quorum

ope & induſtriâ iſtud factum, & Reſpublica rectè adminiſtrata. Barnabas Briſſonius, Senatus Pariſienſis Præſes digniſſimus, vir Iuriſprudentiæ in antiquam dignitatem reſtituendæ natus, de Formul. & ſolennib. pop. Rom. verbis, Lib. IV. pag. 396. obſeruat ejuſmodi nummis cauſas aliquando adjici ſolitas, brevi elogio: veluti, REPVB. CONSERVATA. ASIA. RECEPTA. CIVIBVS. SERVATIS. FISCI IVDAICI CALVMNIA SVBLATA. VEHICVLATIONE ITALIAE REMISSA. & ſimilibus. Vel etiam quia Agrippa Pontis Gardij, & admirabilis aquæductus aquas fontanas Vticâ Arecomicorum, hodie Vſetiâ, Nemauſum, illorum principem ac primariam, deducentis auctor extiterat, vt arbitratur Nicol. Berg. itener. Rom. IV. Cap. XXXVII. (de quo & nos ampliùs alibi) adducti forſitan fuere Nemauſenſes, ad honores iſtos illi decernendos. Hæc autem numiſmata memorialia, quale & noſtrum, monetæ vicem aliquando præbebant; vt pluribus rationibus oſtendunt Archiepiſcopus Tarraconenſis, ſæpius laudatus, Dial. I. Piſo, & Savotus Lib. I. per totum: & ad æternam rerum proſperè geſtarum gloriam, perſæpè in ſacris & ludis ſpargebantur, ac in vulgus jactabantur; quædam deponebantur in terræ ſinu, ſepulcris & fundamentis Templorum, Palatiorum, Thermarum, Theatrorum, aliorúmque inſignium ædificiorum; vt non mirum ſi tam multa à priſcis illis

illis seculis Nemausi effossa fuerint, & præsertim dum munitiones excitarentur in postremis bellorum civilium æstibus: si tot, inquam, quotidie vinitoribus & operarijs nostris occurrant hujusmodi nummi aurei, argentei, ærei, non ficti & adulterini, vetustatémve ementientes; sed legitimi, & verè antiqui: quos quidam tanto studio colligunt & coacervant, vt ex illis æraria historica pene completa habeant, summo rei antiquariæ & literariæ bono.

Ex nummis duobus, jam celebratis, arguitur Nemausum COLONIAM Romanam fuisse nobilissimam, inter quatuordecim Narbonensis Galliæ, quas recenset Onuphr. Panuinius Imper. Rom. pag. 217. & ex Melâ de situ orb. Lib. II. Cap. V. Ptolom. Lib. II. Cap. X. aliísque probatis auctoribus, priscis ac recentibus, quos affert Io. Savaro Arverniæ Præses, togatorum lumen. not. ad Sidon. Epist. IX. Lib. II. Sed meliùs ex inscriptionibus per vetustorum lapidum, Nemausi repertorum, qui sequuntur.



T. TVRPILIO. T. F. VOL.
CAPITONI. AED. COL.

D M
Q AEMILII FIRMI
AED·COL·ET
CLVSTRIAE SVAVIS
VXORIS
AEMILIANVS FIL

SEX. ALLIVS. REPENTINVS
AED. COL. SIBI. ET
SEX. ALLIO. PATRI. ANNIAE. MATRI
SEX.ALLIO.NVNDINO.FRAT.AED.COL·
ALLIO. VECETO. FRATRI.
MEMMIAE. VXORI. OPTVMAE.

AED· COL· NEM·
L· MESSIO
S I L V I N O

D· POMPEIO
HOMVNCIONI
PATRI· Q·

Ita enim Albenas pag. 156. & Grut. pag. 455. 8. hodie namque vltima linea legi non poteſt.

C· VALERIO· L· F· VOL·
LVSSORI· Q· COL·

Albenas itidem pag. 171. Gruter. pag. 479. 5. Graſſer. 72.

Q. ideſt

Q. ideſt Quæſtor. Municipia enim, & coloniæ, ad Vrbis ſimilitudinem, non ſolùm Pontifices, Flamines, Cenſores, Prætores, & alios Magiſtratus habebant, vt annotaverunt Sigonius de Antiq. Iure Ital. Lib. II. Cap. IV. Guidus Pancirolus I. V. C. in Tractatu de Magiſtrat. Municipal. ſed etiam Ædiles & Quæſtores, ac Quartumviros ad Ærarium, de quorum munere & officio, & alio qui vocabatur *Præpoſitus Theſaurorum Nemauſenſium*, qui inclinante imperio ad comitem largitionum pecunias Imperatoribus à provincialibus debitas deferebat, mentionem facit idem Pancirolus Commentar. in notitiam IMP. OCCIDENT. Cap. XXXVI. ex lege vltimâ Cod. Theod. Lib. XII. Tit. VII. de ponder. &c. quam etiam feliciter correxit; ejúſque cenſura placuit Clariſſimo Iacobo Gutherio de officijs domus Auguſtæ Lib. III. Cap. XVIII.

In rudi lapide modicùm decurtato, & exeſo, quem delineavit Gruterus pag. 1074. 9. fit mentio Dei COLONIÆ NEMAVSENSIS, literis ejuſmodi,

------ OLO. NEMAVSO
MARIVS PATER
NVS
V. S. L. M.

DEO CO-
LONIAE

Sed apertiùs in iſto temporis iniquitate de-

perdito, qui in ædibus *Du Balonaire*, in foro olitorio conſpiciebatur, quem etiam deſcribunt Albenas pag. 184. & Gruter. 111. 12. ſibique monſtratum fuiſſe ab amicis affirmat Graſſer. pag. 17.

DEO NEM.
AI. VTVLIVS X. TITVLLVS
PERSEVS
HOROLOGIVM
ET CERVLAS II.
ARGENTEAS
T. P.

HOROLOGII dedicationem, more vetuſto factam, docet quidem Vir omni literaturâ celeberrimus, ac Antiquitatis cultor eximius, ex inſcriptione Viennenſi, cui adjungendæ Gruterianæ pag. 6. 6. & 227. 6. Plinius Lib. VII. Cap. vlt. Sed quid per CERVLAS DVAS ARGENTEAS intelligendum, noluit definire: & accuratiſſimus Goltzius in Theſauro ſuo rei Antiquariæ CERVLAS inter dictiones incognitas, & exoletas recenſet; quemadmodum & alij lapidum collectores, totius vetuſtatis inſtauratores diligentiſſimi. Si licet, in re perobſcurâ, vaticinari ſine lauro & tripode, cum C. pro G. frequentiſſimè in perantiquis marmoribus, & numiſmatis ſcriberetur, GERVLAS, hoc eſt Bajul

Bajulas duas, Horologium portantes, hîc denotari ſuſpicor. Horologia quippe, vt jam dictum eſt, Dijs conſecrata, quinetiam in templis poſita, quæ ab illis nomen habuerunt & HOROLOGIARIA cognominata. Lapis Albæ Iuliæ apud Gruter. 6. n. 6. Habuerunt autem hæc Horologia aquea, de quibus loquimur, ornamenta ſua quæ *Parerga* dicuntur Vitruvio Lib. IX. Cap. vlt. cujuſmodi fuerunt *Buccinæ*, quæ canebant: *Calculi*, qui projiciebantur: *Metæ*, quæ vertebantur. Hujuſmodi ſigilla intelligebat DECIMVS TITVLLVS PERSEVS, quæ ex argento, TESTAMENTO ſuo PONI volebat, juſſerátque, vocátque GERVLAS DVAS ARGENTEAS; Sigilla nempe ex argento, referentia duas Gerulas, ſeu Bajulas, quæ movebantur, quaſi Horologium ipſum ſuſtinerent.


De NEMAVSO iſto, quem ob ingentia merita veſani Nemauſenſes, ſicut Romani *Quirinum* ſuum, in Deorum numerum retulêre, alio in loco fuſius, Deo dante, agemus: hîc oſtendere ſufficiet, quod in alijs quibuſdam ſaxis, Nemauſus non ſolum COLONIA, ſed COLONIA AVGVSTA indigitatur.

D· M·

M. S E N V C I I
SERVATI. Q. COL.
AVG. NEM. AB. AER.
ET. IVLIAE. HELPIDIS
VXORIS. OPTIMAE.

V. P.

Sic etiam Gruter. 467. 3.


T. INDEDII TERTII.
AED. COL. AVG. NEM.
DOMITIA. EORTE. SIBI ET VIRO
DE. SE. BENE. MERITO. V. F.

Albenas & Gruter. 323. 5. legunt perperam INDESII.

Colon

Colonia igitur AVGVSTA NEMAVSVS, quia hoc honore ab Augusto decorata, coloniarúmque jure donata; vel quia illius auspicijs colonia civium Rom. Nemausum deducta, ad tumultus Gallicos sedandos, hostium finitimorum incursus reprimendos, populos subactos coërcendos, plebis vrbanæ exhauriendæ causâ: quas rationes, & alias, docent Sigonius de antiq. jure Ital. Lib. II. Cap. II. & III. Rosinus Lib. X. Cap. XXII. & XXIII. Quapropter in pluribus nummis, qui recensentur ab Occone in Augusto, & ab Augustino Dial. II. antiquit. Coloniæ ab illo Imperatore conditæ, vel deductæ, AVGVSTÆ cognominantur: COLONIA CALAGVRRIS AVGVSTA: COLONIA AVGVSTA PATRENSIS: COLONIA CÆSAR-AVGVSTA: COLONIA AVGVSTA EMERITA, &c.

Tempus porrò definire, quo Nemausum COLONIA illustravit Augustus, perquam difficile & arduum; cum nulla publica monumenta supersint. Vulgatior opinio (quicquid dicat Auctor incertus in vitâ Augusti Gallicè conscripta, ad calcē parallelorum Plutarchi addita) id contigisse post reditum illius ex Ægypto. Grasserus dissert. de antiq. Nemaus. pag. 23. & Golnitzius itinerar. pag. 548. Ea propter AVGVSTVS apud Nemaus-arecomicos in summâ veneratione, eíque, vt & IOVI, vota nuncupata. Vetus istud marmor cōspiciebatur Patrum nostrorum memoriâ in arce Sancti Privati, propè Nemausum:

SANCTITATI
IOVIS· ET
AVGVSTI· SACRVM
LVCILIVS
CESTI · F·

Extat etiam apud Gruterum pag. 10. n. 1. & Graſſer. pag. 52. qui legit CESTIO F.

Numiſmata AVGVSTI, in queis caput radiatum, vide apud Occonem pag. 81. 82. cum fulmine, vt alter Iupiter pag. 44. 49. Interpretes in Suetonij Cap. LII. & LIV. in AVG. Alia quæ Divinitatem pleniùs declarant cum lemmate: AVGVSTO DEO. DIVO AVGVSTO. PROVIDENTIAE. AETERNITATI AVGVSTI. ibid. & apud alios ſcriptores de monetis antiquis.

Et cum cæteri Imperatores poſt mortem fuerint tantùm conſecrati, D. AVGVSTVS tamen templa

vivus

vivus emeruit. Servius Grammaticus ad Virgilianum versum 6. Ecl. I. & 42. Georg. I. Horatius Lib. III. Ode III. & V. & Lib. II. Epist. I. versu 26.

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Iurandásque tuum per nomen ponimus aras.

Aras quippe Deorum juraturi tenebant. M. Tullius pro Flacco: *Is si aram tenens juraret, crederet nemo.* Sed melius hunc ritum expressit more suo Comicorum princeps in Rudente Actu V. Sc. II.

Gr. *Tene aram hanc.* La. *Teneo.* Gr. *Dejura te mihi argentum daturum.*
Eodem die viduli ubi sis potitus. La. *Fiat.*

Habuisse autem aras ansas quasdam, vnde & commutatione literarum nomen sumpserunt, cuivis mediocriter erudito compertum est. Cum autem D. Augustus Horoscopante Capricorno, hoc est Sole, primas Capricorni partes obtinente, atque peragente, natus esset; inde non solum futuram magnitudinem & principatum, sed *Divinitatem* etiam, portendi voluerunt Mathematici: & Theogenes auditâ hac illius geniturâ *exsilivit, adoravitque eum.* Suet. in illius vitâ Cap. XCIV. Quando enim Sol in Capricorno incipit ab imis in alta remeare, Capræ naturam videtur imitari, quæ dum pascitur altum semper ab imo petit: & Platonici Capricorni signum *Portam Deorum* vocarunt. Videatur Macrob. in somnium Scip. Lib. I. Cap. XII.

Non Romæ tamen, & in Italiâ, AVGVSTO

vivo, & inter mortales agenti, Templa dicata, aræque erectæ: ſed in provincijs ſolùm. Suet. Cap. LII. in Aug. Dio Lib. LI. pag. 524. & à Tarraconenſibus primis *datum in omnes provincias exemplum*. Id. Tacit. Annal. I. pag. 47. quibus nuntiantibus palmam in arâ ejus enatam, acutè, argutéque reſpondit Imperator: *Apparet quàm ſæpè accendatis*. Auctor Quintilianus inſtitut. Orat. VI. Cap. IV. Sic Ancyrani in Galatiâ maturè ei vivo Templum extruxerunt. Caſaubonus in Suet. Lib. II. ad finem. Ioſephus antiquitat. Iudaïc. XVI. Cap. X. Pergameni in Aſiâ, Nicomedienſes in Bythiniâ. Dio loco citato. Tacit. Annal. IV. pag. 158. Bituriges Viviſci, ſeu Burdigalenſes, in Gallijs ſolennes aras illi dedicarunt. El. Vinet. in Auſonij vrbes, n. 208. B. Andr. Thevet. Coſmograph. XIV. Cap. IV. Vol. II. Similiter Lugdunenſes & Narbonenſes, quæ deſcribuntur à Grutero pag. 227. 229. Catello & Andoque in Occitanicis.

Notanda interim fœdiſſima LVCILII adulatio, in marmore jam deſcripto, vel potius cæcitas pluſquam Ethnica, qui IOVEM & AVGVSTVM inſignes inceſtuoſos & adulteros, SANCTOS tamen nuncupat. De IOVE luculentiſſimum teſtimonium ſuppeditat Aurel. Victor referens: *Caligulam habitu Deorum ſuorum inceſſiſſe, ſéque Iovem aſſeruiſſe, quia tres ſorores ſuas ſtupro maculaverat*:

Poëtæ

Poëtæ passim Virgil. I. Æneid. vers. 50. Ovid. Metamorph. IX. Fab. II. Seneca Tragicus dramate Hercules furens in princip. Iunonem sic exclamantem introducit.

Tellus colenda est: pellices Cœlum tenent.

De AVGVSTO Suet. disertissimè Cap. LXX. COENA *quoque ejus secretior in fabulis fuit, quæ vulgò δωδεκάθεος vocabatur, in quâ Deorum Dearumq; habitu discubuisse convivas, & ipsum pro Apolline ornatum, non Antonij modò epistolæ, sed & sine auctore notissimi versus.*

Cùm primùm istorum conduxit mensa choragum,
Sexque Deos vidit Mallia, sexque Deas.
Impia dum Phœbi Cæsar mendacia ludit,
Dum nova Divorum cœnat adulteria:
Omnia se à terris tunc Numina declinarunt;
Fugit & auratos Iuppiter ipse thronos.

Nec solus LVCILIVS CESTI Filius in eo errore: vitium enim seculi & temporum, vt conqueruntur Sancti Patres. Tertullian. Apologetic. Cap. IX. Cyprian. contra Donatum Lib. I. Cap. II. Lactant. Divinar. Instit. I. Cap. XX. Saresberiens. de nug. Curial. III. 24. Panagius Salius Vedastiados, seu Galliæ Christianæ, Lib. I.

Porrò cùm COLONIÆ Amplitudinis, Majestatísque Pop. Rom. quasi effigies parvæ, simulacráque essent, vt loquitur Gellius Lib. XVI. Cap. III. Varro Lib. IV. de ling. Lat. ex plerisque

lapidibus qui deſcribuntur Cap. II. & III. *Inſcriptionum noſtrarum*, vt jam diximus, & Cap. V. VII. & VIII. quas ſummo ſtudio collegimus & digeſſimus, (numero DXXV.) & alijs teſtimonijs conſtat NEMAVSVM Septemgeminam ſuos Magiſtratus ſacros & politicos (non tamen pari dignitate ac Romanos) habuiſſe: Pontifices nempe, Flamines, Flaminicas, Veſtales, Lupercos, Sodales, Legatos, Duumviros, Decuriones, Prætores, Ædiles, Qûæſtores, Tribunos Militares, Centuriones, Præfectos vigilum & armorum, itidémque Fabrûm: Sexviros, Quartumviros Iuriſdicundi, & ab Ærario, alióſque ibi memoratos, necnon Corpora & Collegia, Ædes, Templa, Muros firmiores, quam priſcos Gallicos, judicio Iul. Cæſaris, Commentar. VII. Cap. V. & Petri Rami, de moribus veter. Gallor. pag. mihi 20. & *66.* Pontes, Aquæductus; & invaleſcente luxuriâ, Thermas, Balneas, Palatia, Baſilicas, Capitolium, Amphitheatrum cum campo Marti ſacro, Columnas, Statuas, Coloſſos, Tabuláſque, Monumenta Romano charactere inſculpta, Numiſmata, Gemmas inciſas, Vias munitas, ac militares: Pomœrium ampliaſſe, Domos magnificas ædificaſſe, Prætoria ac Villas, quæ adhuc priſcum nomen retinent, quarum XLV. alibi recenſuimus. Quid enim aliud quæſo vocabula hæc Celtiſmi noſtri, AIMARGVES, CAISSARGVES, DOMES

MESSARGVES, FABIARGVES, & ſimilia ſonant? Quàm ejuſmodi loca inhabitata, agróſque cultos à Nobilibus quibuſdam, oriundis ex familijs Rom. AIMILIA, CASSIA, DOMITIA, FABIA, allectis & adductis, non tam vbertate ac fertilitate ſoli Nemauſenſis, quàm aëris ſerenitate & ſalubritate; aut etiam, vt mercaturæ operam darent: nam & jam Ciceronis ævo Gallia Narbonenſis, civibus Romanis negotiationem exercentibus admodũ frequens erat. Orat. pro Fonteio, habitâ anno vrbis conditæ DCLXXXIV. *Audacter hæc dico, Iudices, non temerè confirmo, referta Gallia negotiatorum eſt, plena civium Romanorum: nemo Gallorum ſine cive Romano quicquam negotij gerit:* & alibi. Ideóque Plinio Lib. III. Cap. IV. Gallia Narbonenſis *Italia veriùs, quam Provincia* dicta: vel etiam propter ſingularia beneficia, & privilegia quæ à populo Rom. & Cæſaribus ei conceſſa fuere: de quibus Suet. Iulio Cap. LXXVI. & LXXX. Dio Lib. LII. & LIV. Lipſ. ad Annal. Taciti XI. & XII. Andoque Lib. II. & III. quæ hîc referre non eſt inſtituti mei; ſed ea tantùm quæ in dulciſſimam & chariſſimam patriam collata fuere: ne in beneficos & benemeritos municipes meos ingratus videar. Namque vt primùm Nemauſus Arecomicorum caput, ſeu metropolis, ſub jugum Romanorum cum Galliâ Narbonenſi miſſa fuit, poſt Allobrogicum & Arvernum

bellum confectum ad Isaræ & Rhodani confluentem, anno vrbis conditæ DCXXXIII. vel potiùs post Cimbricum à C. Mario, anno DCLII. Vignierio, & Dionysio Petavio Rationar. Temporum partis primæ Lib. IV. Cap. XIV. & alijs Chronologis, non statim vt aliæ civitates Galliæ, teste Cicerone in Fonteianâ prædicta, stipendiaria & vectigalis facta fuit; sed tributorum onere immunis permansit, tanquam juris Latini, vel Italici: quod multis probare nititur Albenas, apud Nemausenses Senator olim dignissimus, & de illis benè meritus, sed nominatim auctoritate Pauli I.C. in lege VIII. De Censib. & Accursij ad L. I. D. eod. & Andr. Alciati celeberrimi Iurisc. ad L. Censere. CXI. De verbor. signific. Alexandri Genial. Dier. IV. Cap. X. Quod ita accipiendum, vt non omninò libera Nemausus, sed vectigalibus, tributis, ac capitationibus haud attrita fuerit; sicut declarat Alciatus ipse Dispunct. II. Cap. XXI. & apertiùs Sigonius de antiq. jure Italiæ lib. I. Cap. IV. & XXI. quandoquidem cives ipsi Romani tributa quædam, ac vectigalia pendebant. Consulatur doctissimus Ant. Dadinus. Alteserra rerum Aquitanic. Lib. III. Cap. III. & vir incomparabilis Samuël Petitus Observat. II. Cap. IV.

Et cùm ante Romanorum adventum, Respublica præstantissima esset, Gallorum regulis non obnoxia (vt aliæ, quæ optimatum cōsilio regebantur,

de

de quibus loquitur Cæsar Commentar. VI. Cap. IV.) pagos 24. sibi subditos habens, Strabo Lib. IV. oppida Plinio Lib. III. Cap. IV. ex populi Romani & Cæsarum concessione, speciem aliquam pristinæ libertatis per aliquod tempus retinuit: nec Proconsules, Proprætores, & alij Magistratus in eam missi cum securibus, sicut in alias; vt asserit Suet. in Tiber. Cap. XI. & in Caligula Cap. III. sed NEMAVSENSIBVS, & illorum subditis, suis vti legibus permissum. Strabo prædicto Lib. & XVII. in extremo. Tiraquell. in Alexandrum. Dadinus locis citat. Præses Falcetius antiquitat. Galliæ I. Cap. XIV. similiter ac Massiliensibus, Vocontijs; Strabo Lib. III. & IV. & Atrebatibus ob ingentia merita Iul. Cæsar. Lib. VII. Cap. XIV.

Fallitur proinde auctor Antiquitat. Nemausens. & cum illo Golnitz. itinerar. pag. cit. dùm asserunt NEMAVSENSES ad Romanos tantùm devenisse sub Pompeio Magno, adducti auctoritate Plinij Histor. nat. VII. Cap. XXVI. Cui addi potest Florus, sive quis alius auctor extiterit Epitomes Livianæ Decad. XCIII. Cic. pro lege Manil. Salust. Histor. Fragment. III. qui Pompeïum *Galliam recepisse* affirmant. Sed hi de civitatibus rebellantibus, & jam Romanorum jugum detrectantibus intelligendi: inter quas cur Nemausus?

Ex superiùs adductis patet quàm laudabili

consilio, *Cives Nemausenses* ad memoriam Antiquitatis, & Majestatem Vrbis, rejecto tauro aureo, quem Christianissimi Regis concessione præferebant in Scuti solo coccineo, anno MDXXX. decreverint à Rege ipso postulare, vt in posterum illis permissum foret, imagines Nomismati antiquo, quod jam descripsimus, insculptas, Crocodilum nempe Palmæ alligatum, Sertum, seu coronam pensilem (quam è lauru faciunt) cum literis COL. NEM. in posteriori orbe exaratis, pro insignibus gestare. Super hoc ergo, summo omnium studio & rogatu, factum est à Francisco I. felicissimæ memoriæ Principe, & egregio rei antiquariæ cultore, rescriptum mense Iun. ann. MDXXXV. cujus verba ex Archivo publico describere operę pretium duxi: quia multa notatu digna occurrunt, ex vsu idiomatis Gallici; & vt summi Principis beneficium, ac amor in *Nemausenses nostros* magis innotescat omnibus.

FRANCOIS *par la grace de Dieu, Roy de France, A tous presens & advenir. Nous avons receu la forme de l'Emphitheatre envoyé par nos chers & bien-amez les Consuls, manans, & habitans de nostre Ville & Diocese de Nismes, & entendu par nostre amé & feal Maistre Antoine Arlier Docteur és Droicts, & Consul de nostredite Ville, la Palme, Coleuvre enchainé, & Chapeau de Laurier dans ledit Emphi-*

theat

theatre enclos, avoir esté anciënement les Armoiries & Enseignes de nostredite Ville de Nismes : ce que nous a ledit Arlier clairement démontré, tant par apparentes raisons, que par le revers de plusieurs antiques Medailles, esquelles, & en l'vne des faces, avons veu à demy relief figuré ledit Coleuvre sans aisles, à quatre pieds, passant, enchainé à vne Palme, & en icelle vn Chapelet en forme de laurier pendant, & au dessous les deux pieds de devant dudit Coleuvre, vn petit rameau d'vne Palme : d'avantage écrit en lettres antiques majuscules & syncopées, suivant le stile des Anciens, COLVBER NEMAVSENSIS. *Advertis aussi les Consuls de nostredite Ville de Nismes, avoir puis peu de temps en ça impetré de nous vn Taureau d'or pour les armes de ladite Ville ; voulans par ce, & desirans conserver, ou bien renouveller les loüables antiquitez, & desquelles avons esté & sommes grandement amateurs ; mesmes à nostredite Ville, qui est sur toutes autres de nostre Royaume illustre, chef à present du Diocese, & Siege principal de nostre Seneschaussée de Beaucaire, en augmentation d'honneur, restauration, comme dit est, de l'Antiquité, & pour autres bonnes & grandes considerations à ce nous mouvans, à iceux Consuls, manans & habitans de nostredite Ville de Nismes : Avons actroyé & octroyons, Voulons & nous plait, de nostre propre mouvement, & certaine science, pleine puissance & authorité Royale, par ces presentes, que démis & rejetté le Taureau d'or que*

An. MDXVI. au mois d'Avril à Lyon.

nous, comme dit est, autrefois à eux concedé en leur ancien champ de gueules, soient d'oresenavant & à perpetuité ledit Coleuvre à la Palme enchainé, & le chapelet de Laurier en icelle pensile, & d'avantage écrit en lettres antiques majuscules ces deux mots : COL. NEM. *ladite Palme entre lesdits deux mots, & par dessus, & tout ainsi qu'est contenu en la figure cy-empreinte, laquelle est purement pourtraicte, & tirée du revers des antiques Medailles, ledit Coleuvre, Palme & Chapelet de synople, comme plus approchant du naturel d'iceux, la chaine & les lettres d'or, le tout sur l'ancien champ de Gueules.*



SI DONNONS *en mandement par ces mesmes presentes, à nostre Seneschal de Beaucaire, ou à son Lieutenant, que de nostre present octroy, & contenu cy-dessus, il fasse, souffre, & laisse lesdits Consuls, Manans, & Habitans de nostredite Ville de Nismes, joüyr & vser pleinement, perpetuellement, & à tousjours; cessant, & faisant cesser tous troubles & empeschemens au contraire : en contraignant, ou faisant contraindre lesdits Consuls, & Habitans d'icelle nostredite Ville, par toutes les voyes, & manieres deuës & requises, à rejetter ledit Taureau d'or ; & au lieu d'iceluy d'oresenavant porter ladite Armoirie, & enseigne*

cy

cy-dessus figurée, & empreinte : & d'icelle vser tant en leurs Seaux, que sur les portes de nostredite Ville, & en autres lieux & endroits accoûtumez, où besoin & requis sera : Et afin que soit chose ferme, & stable à tousjours : Nous avons *fait mettre nostre Seel à cesdites presentes, sauf en autres choses nostre droict, & l'autruy en toutes.* Donné *à Kuc, au mois de Iuin, l'an de Grace mil cinq cens trente-cinq, & de nostre Regne le vingt-vnieme. Par le Roy. Le Sieur de Montfaulcon Grand-Maistre, & Mareschal de France, present.* Bayard.

Leües, publiées au Conseil de la Cour Presidial de Nismes, & registrées au livre dudit Conseil, presens Messieurs les Gens du Roy, le 29. de Novembre, l'an MDXXXVI. Lansardi. *Contentor,* Deslandes.

Diplomatis istius tres errores, inter alios, notandi veniunt.

Primus; quando cives Nemausenses per Arlerium Consulem Regi exponunt, Animal, in Numismate averso effigiatum, *Colubrum esse inalatum, gradientem, quadrupedem,* ac proinde dictiones contractas COL. NEM. de COLVBRO NEMAVSENSI intelligendas: cùm certissimum sit, vt demonstratum est, *Crocodilum* esse fluviatilem, nullam similitudinem cum Colubro habentem,

qui inter ſerpentes pedibus orbatos ponitur à multiſcio Conrado Geſnero Tigurino Hiſtor. Animal. Lib. V. de ſerpentibus, litt. C.

Secundus; dùm in interpretando Scuto Symbolico, faſcias ſeu lemniſcos è palmæ ramis pendentes omittunt; quod non erat parvi momenti, vt ſuperiùs probavimus.

Tertiùs; cùm in priſtinâ areâ coccineâ parmæ teſſerariæ, in quâ taurum aureum ferebant, in illius locum apponi ſubrogaríque poſtulant palmam, Colubrum & Sertum, ſive coronam viridis aut praſini coloris, tanquam ad germanum ac genuinum proximè accedentis, catenam & literas COL. NEM. ex auro; contra rei teſſerariæ præſcriptas leges, quæ non patiuntur Symbolicas imagines primarias, ſeu Principes, vt ſunt in prædictis inſignibus Nemauſenſibus, *Palma, Crocodilus, & Sertum*, eo modo vſurpari, vt coloribus colores, metalla metallis, vellera velleribus mutuò incubent; & ſi aliter pingantur, id teſſerariarum Iconum rationem legitimam adulterat: niſi fortè ex graviſſimâ cauſâ, & extra ordinem fiat; & tunc erotematicæ & poſtulatitiæ teſſeræ, Gallis *Armoiries à enquerre* appellantur; vt de Gotofredo Bullionio traditur, cujus Scutum Symbolicum deſcribunt Hieronymus à Barâ, & Vulſo dict. tractatu Cap. V. & Chaſſanus Catalogo gloriæ mundi, pag. 49. Quapropter pictores hodierni quidam, in miniato

latere

laterculo, Palmam, atque Crocodilum, & cæteras imagines auratas, prasino, seu *sinopleo* inumbratas, & illustratas, sic exprimunt.




Et clarissimus Andoque, literarum omne genus doctissimus, Histor. suæ, pag. 62. scutarium nostrum typum enuncians ac explicans, vult in eo depingi palmam viridem, cui alligatus est catenâ argenteâ Crocodilus cæruleus, in parmâ aureâ; colores eo modo metallo imponens, ex recepto artis scutariæ vsu. Verumtamen videant *Nemausenses*, an melius esset insignia delineare, quemadmodum expressa fuerunt in Regijs literis.

Laudandi interea Consules, qui ad memoriam Venerandæ Antiquitatis, & eorum quæ proposita sunt confirmationem, in Domus civicæ majori aulâ *Crocodilos duos Niloticos* asservant exenteratos, & accuratè infartos, qui è laqueari dependent, quorum alter comparatus fuit pecuniâ publicâ ad annũ

Domini MDLXXXVI. alter autem ad annum MDXCVII. ex Ægypto ambo, per mare vicinúmque Rhodanum, vt puto, transvecti, quos advenæ summâ cum voluptate conspiciunt.

Nunc ad alterius numismatis interpretationem accedendum, quod sic in æs incidi curavimus.



NVMMVLVS iste admodum rarus, non ita eleganter vtrinque cælatus, vt præcedens, à nullo Scriptore monetario visus & publicatus fuit, præterquam à magni nominis viro Io. Tristano Santamantio Commentar. Histor. Tom. I. in Augusto, qui existimat caput galeatum, esse ipsiusmet NEMAVSI vrbis nostræ fundatoris, Herculis Gallici filij, ex Stephano de vrbibus, & Suida: apud quos Nemausus vrbs Galliæ à *Nemauso* Heraclide; & alios, quos adi; quod & aliquando in nostris Antiquitatibus Nemausensibus, si per Deum propitium eas publici Iuris facere liceat, fusius nos declaraturos confidimus.

In posteriori circulo spectatur Dea SALVS, hac

baculo innixa, eſcam è diſco porrigens duobus Serpentibus arrectis, cicuribus, cum literis Rom. NEM. COL.

Quare Serpentes, Angues, ac Dracones (quamvis enim propriè ſumpti inter ſe differant, apud auctores tamen non proletarios confunduntur, & ſunt ſynonyma) Æſculapio, & Hygiæ filiæ, ſeu ſaluti attribuantur, non ſolùm in omnibus ferè ſtatuis ac ſimulacris, ſed etiam innumeris Numiſmatibus, quæ ſummo ſtudio collegit Hiſtoriæ genius Aldrovandus de Serp. & Dracon. Lib. I. & II. Rationes in promptu ſunt: quia inſtaurantur quotannis, tempore verno nempe, poſitis exuvijs, vt & medicamentis ægroti mutantur. Plin. Lib. VIII. Cap. XXVII. Hieronymus Aleander explicat. tabulæ Heliacæ XCV. & quibuſdam herbis ſibi medentur. Ælianus Hiſtor. Animal. VI. Cap. IV. & LXIII. Imò ſe in vitam revocant: Addit. Pier. pag.580. Vel quòd ab anguibus multa in genus humanum remedia procedant; & apud Ægyptios, Græcos, & Romanos, Serpens non ſolùm corporis, ſed etiam animæ ſalutare ſymbolum fuit: Addit. ad Pier. ibid. & Aldrovand. pag. 79. qui forſan ab Hebræis edocti, Moſen Serpentem æneum feciſſe, cujus aſpectu ſanabantur percuſſi Numeror. XXI. quem deinde Ezechias confregit, *quia filij Iſraël adolebant ei.* Reg. II. Cap. XVII. 4. aut propter viſus perſpicaciam, vt poſtea oſtendetur;

medici enim oculatissimi esse debent: sive propter prudentiam, quæ præsertim in medico requiritur; Serpens autem prudentiæ symbolum. *Estote prudentes sicuti Serpentes.* Matth. X. vers. 16. Genes. III. vers. 1. quod & multis argumentis ostendunt Bened. Pererius in Genes. Comment. VI. Cap. I. & Aldrovand. Lib. citato.

Ad illustrationem porrò istius Numismatis lege Alciat. Emblem. I. & CXLIX. & Claud. Minoem ibid. ac disce ex Æliano Histor. Lib. VIII. Cap. XII. Serpentem, Æsculapio dicatum, *Pariam* vocari; igneo colore, acerrimo oculorum sensu, ore largo: qui tamen, cùm mitis sit, nihil nocet mordendo; vt nec illi, qui nascuntur in Epidaurio agro. Pausan. Corinth. II. Cujusmòdi etiam erat ille qui à Tristano exhibetur in Nummo Iuliæ Sabinæ, illi adblandiens; & ita cicur, vt ex ore illius cibum caperet; & Tiberio Imperatori *erat in oblectamento serpens draco, quem ex consuetudine manu suâ cibabat.* Suet. Cap. LXXII. Similiter author est Philostratus Iunior, Aiaci Locrensi fuisse draconem mansuetum, pedum quindecim, quo ille vtebatur convictore, & comite, instar canis. Vide etiam apud eumdem Ælianum VI. Cap. LXIII. historiam mirabilem Draconis, & pueri cum eo familiariter nutriti; & quæ tradit Lib. XVII. Cap. V. de Aspidibus, qui ab Ægyptijs coluntur, & mansuefiunt: vt & omnes illi qui videntur circa Pellam

Serpens ad differentiam volatilium.

Maced

Macedoniæ vrbem, illustratam maximè natalibus Philippi & Alexandri M. Lucianus Dial. Alexander seu Pseudomantes: quales hodie quoque mulierculæ Romanæ, æstivis maximè mensibus, in delicijs habent, vt & olim Glaccilla Martialis Lib. VII. Epigr. LXXXVI.

Sic gelidum collo nectit Glaccilla draconem.

Imò, qui propriè dracones in genere ἱερουσικῷ nominantur, veneno carent. Plin. XXIX. Cap. IV. Non adeò miranda igitur, quæ de Lanuvinis Virginibus fingunt Poëtæ, quotannis in sacro Luco cibum ingenti draconi præbentibus; & eô modô, si escam attingeret, virginitatem suam probantibus. Ælian. Lib. XI. Cap. XVI. Propertius Poëta cultissimus insignitè Lib. IV. Eleg. VIII. quæ inscribitur de Cynthiâ & Dracone.

Lanuvium annosi vetus est tutela Draconis,
Hic vbi Tartareæ non perit hora moræ.
Qua sacer abripitur, cæco descensus hiatu
*Qua * penetrat (Virgo tale iter omne cave)* *al. penetral.
Iejuni Serpentis honos, quum pabula poscit
Annua, & ex imâ sibila torquet humo,
Talia demissæ pallent ad sacra puellæ,
Quum tenera anguineo creditur ore manus.
Ille sibi admotas à Virgine corripit escas,
Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.
Si fuerint castæ, redeunt in colla parentum
Clamántque Agricolæ, fertilis annus erit.

Vrſinus, in tabulis gentis Mettiæ & Pappiæ, duos hoſce denarios exhibet, ex quibus hæc facilè colliguntur: in illorum quippe averſis, Virgo anguem Lanuvinum paſcens cernitur.



Triſtanus in Nummis M. Aurelij & Fauſtinæ minoris Operum Tomo I. Getæ, Elagabali, Tomo II. Herodiani & Gallieni Tomo III. multos deſcribit in queis Dea Salus, aut Imperatores, vel

Aug

Auguſtæ, Draconibus manſuetis, vel ſuapte naturâ, aut arte, ac induſtriâ hominum, cibum porrigunt è diſco, vel ſcutellâ, quam extendunt, quæ mola ſive placenta ὑγίεια Polluci vocatur Lib. XI. Cap. IX. & Heſychio. In gratiam ſtudioſorum, qui copiam nummorum & librorum non habent, quatuor apponam elegantiores.









Lege etiam ſi lubet inſcript. Rom. pag. 74. & Aldrovand. loc. citat. Lib. I. pag. 84. & 85.

Conjectura Santamantij in explicatione imaginis, in priori parte figuratæ, valdè probabilis est. Mihi tamen videtur caput Galeatum, Deam Romam Denarijs impressam referens, esse MARTIS, rectiùs quàm NEMAVSI conditoris, quibusdam commentitij ac fabulosi: quia Mars eô modô pingitur in pluribus Numismatis apud Tristanum ipsum, in Constantino M. Vol. III. G. Choulium Lib. de vet. Rom. Religione, pag. 222. & 223. in Nummis Vitellij, Antonini Pij, Severi Caracallæ, Gordiani, Alexandri Mammeæ F. & aliorum, & Goltz. Fastor. pag. 189. Et prisci Nemausenses Arecomici dicuntur apud Iul. Cæsarem, Strabonem Lib. IV. Melam Lib. II. Cap. V. Ptolomeum Lib. II. Cap. X. quasi Martis gens, populus, regio, Ἄρεως Κώμη, & alijs Volcis fortiores ac præstantiores. Tit. Liv. Lib. XXI. fol. 197. Edit. Francof. de illis loquens, *Volcarum gens valida*, & Plutarch. in Annibale Cap. III. Ideóque MARS illis in præcipuo cultu, ex priscorum Gallorum instituto, quos MARTEM religiosè coluisse asserit Cæsar Commentar. VI. Cap. IV. & latè Gorop. Becanus Gallic. IV.

Vlpianus apud Cujac. Tit. XXII. *Qui hæredes institui possunt.* Sect. VI. meminit constitutionis Gallorum, quæ MARTEM hæredem instituere permittebat. *Dei enim hæredes institui non*

poter

poterant, præter eos quos S. C. constitutionibus Principum instituere concessum erat. Gellius Lib. XVI. Cap. VI. citat hæc verba Pomponij, Attellanarum Poëtæ, in Gallis Transalpinis:

Mars, tibi voveo facturum,
Si vnquam redierit, bidenti verre.

Confirmat lapis Sacer, affixus propugnaculo portæ Coronalis, ita vetustate & injuriâ temporum detritus & corruptus, vt vix legi possit, & mutilus etiam apud Grasser. pag. 75. ac absque figuris: vt & apud Gruterum LVII. n. 10. ex quo tamen, & schedis illorum, qui fermè integrum viderunt, quandoquidem ab Albenate prætermissus consultò videtur, ita erit supplendus, & restituendus.

BRITO

AVG·MARTI·BRITO
VIO SALVIVS
SECVNDINI FIL
EX VOTO




AVG. MARTI. ſine dubio AVGVSTO MARTI; hoc eſt Sancto, plurimum Colendo, Adorando, Venerando, &c.

Lapides alios vetuſtos MARTI AVGVSTO inſcriptos, adducit Gruterus pag. 57. & 1068. & alijs Dijs Deabúſque: SILVANO AVGVSTO. FORTVNAE AVGVSTAE pag. 1068. Duorum Nemauſenſium hæc ſunt verba.

MERCVRIO AVG
T. VALERIVS GRATVS
EX VOTO
VALERIAE PATRONAE SVAE

MERCVRIO AVGVSTO
M. PVLLIVS CELSVS ET
L. DOMITIVS SEDVLVS
EX VOTO


In vico de *Manduel* proximè Nemausum, ita dicto, vt multi existimant, à manibus DVELLI civis Rom. ibi sepulti, etiam nunc hi duo leguntur incorrupti & elegantissimi.



ꟼ inversum pro recto P.

V. pro O. sæpè in antiq. inscriptionibus.

ISIDI



Refertur à Grassero pag. 43. & Grutero 42. num. 1. sine Lunulâ inversâ, sistro Ægyptiaco, ornat

ornatúve vllo: & Grafferus pro SEVIR, legit SEVERI.

SEVIRI, aut SEXVIRI AVGVSTALES, quorum mentio facta fuit in saxis præcedentibus, post D. AVGVSTI obitum, tam Romæ, quam in Provincijs statuti fuêre, vt illius sacra curarent: quod postea sequentibus Imperatoribus datum. Notæ variorum ad Caput VI. Sueton. in Claudio, & VIII. in Galba. De eorum munere & officio, quædam breviter perstrinxerunt Lazius Commentar. Reipub. Rom. III. Cap. VI. Alciatus ad L. LVII. quinque Summates, C. de Decurionibus, Lib. X. & Guichardus de Ritibus funerum Lib. I. Cap. XIV. Non erat certè officium auctoritate plenum, quando LIBERTIS etiam comcommittebatur; vt patet ex allatis inscriptionibus, & alijs quæ apud prædictos auctores leguntur. Nec eadem pollebant auctorite quâ Sextumviri, qui in municipijs & Colonijs ad Rempublicam juráque tuenda eligebantur, velut idem Alciatus docet in L. Pupillus CCXXIX. D. de verb. signific. Monumenta nostra; & Ianus Gruterus passim in opere immenso inscript. Antiquar.

Sed vt ad propositum redeam, memoratu dignum, quod non viri dumtaxat ad Sacerdotium magni hujus Divi adscripti; sed, quod ridendum, gliscente adulatione, Fœminæ, quæ eâ de causâ FLAMINICAE AVGVSTALES, vel AV-

GVSTI, quandoque nuncupatæ: marmor, vt accepi, è Palatij noſtri Regij parietinis evulſum, Anno MDCXXVIII.

D M
AEMILIAE. L. F.
TITIAE FLAMINICAE
AVG. T. P. I.

Et alia duo Nemauſenſia, apud Albenatem & Gruter. pag. 321. n. 5. & pag. 323. n. 5. quæ referre nimis moleſtum, ſicut & Ovidij carmina Lib. IV. de Ponto, ac Dionis verba ad calcem Lib. LVI. ex quibus probatur morem iſtum à Liviâ manaſſe, quæ novo exemplo, Auguſti conjux & Sacerdos.

Nummos averſos Cæſarum, in quibus quidam Romanorum Dij AVGVSTORVM cognominibus inſigniuntur, enarrat Occo opere citato: APOLLINI AVGVSTO. pag. 49. MINERVAE AVGVSTAE 327. OPI AVGVSTAE 249. PACI AVGVSTAE 109. PIETATI AVGVSTAE 164. ROMVLO AVGVSTO 263. VENERI AVGVSTAE 271.

Quid verò animalia, aræ, ſeu tabulæ votivæ inſculpta ſignificent, multi quærunt.

Meâ ſententiâ, ſimulacrum eſt Tauri & Arietis quos BRITO VIO..... & SALVIVS SECVNDINI FIL

FILIVS MARTI AVGVSTO EX VOTO ſacrificaverant: quemadmodum in pleríſque Imperatorum Romanórum numiſmatibus animantia expreſſa, Numini Imperatoris dedicata, immolata, apud Auguſtin. Dial. VI. vel exhibita fuiſſe in ludis publicis, ſeu ſpectaculis, deſignant.

Sicut in Nummo Titi, *Elephas*, apud Erizz. pag. 258.

Domitiani, *Rhinoceros*, 292.

Iul. Philippi, *Leo & Elephas*, 726. 729.

Philippi Iunioris *Cerva aut Alce*, 745. & apud Occonem 447. 448.

Diadumeni, *Vacca*, in Nomiſmate Græco Cyzicenorum, apud Triſtan. Vol. II.

Iuliani, *Taurus vel Bos*, apud eundem, Vol. III. & Occonem 559.

MARTI verò, & heroïbus, non tantummodo Verre, vt vidimus; ſed etiam Tauro, Capro, Ariete litabatur. Roſinus Antiquit. Rom. III. Cap. vlt. Et vt tollatur omnis ſcrupulus, in privatis aris immolabantur etiam hoſtiæ ac victimæ, & ſacrificia cruenta fiebant, permiſſu Pontificum & Sacerdotum. Gutherius de jure Pontif. Lib. III. Cap. XVI.

VOTORVM autem nuncupatio non ſolùm in tabulas referebatur, ſed etiam cùm ſolvebantur. Ejus rei ergo tabulæ ſimili modo fieri conſueverant, vt obſervavit Briſſonius Lib. I. opere citat.

quemadmodum hîc BRITO & SALVIVS Nemaufenfes vota fufcepta foluiffe, & MARTI reddidiffe, conftare voluerunt.

Antiquitatum ftudiofi, quibus Nummulum exhibui, cenfebant in oppofito latere repræfentari Minervam Galeatam, dextrâ pateram (quia Dea) tenentem, cum draconibus duobus juxta pedes.

Pateræ Numinis argumentum, quia ex ijs libabatur, fat fimiles habet Vicus in Auguftar. imaginibus pag. 53. & Lævinus Hulfius in Nummo Clod. Albini.

Adfunt duo Serpentes, aut Dracones, quia Minerva cum illis frequentius figuratur. Vrfinus in gente Iuliâ. Vt in Statuâ Romanâ è marmore, defcriptâ ab Antonio Verderio in Deorum iconibus, pag. 450. De his legendus Servius ad Virgil. verf. 225. Æneid. II. Serpentes quippe, vt jam notavimus, prudentes; quæ virtus literatos decet: & vifu acutiffimi; hinc Draco à δέρκω video, feu acutis oculis oculis afpicio. Notiffimi funt Horatiani verfus Satyr. III. Lib. I.

Cùm tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum,
Quàm aut Aquila, aut ferpens Epidaurius?

Aut quia pervigiles diei noctem conjungunt,

dum

dum oculis apertis ſomnum capiunt. Apollonius Rhodius Argonautic. Lib. II.

Priorem tamen interpretationem recipiendam judico: ad cujus confirmationem, necnon declarationem eximij cultus, quo Priſci *Nemauſenſes* Deam SALVTEM proſequebantur, nitidiſſimam Statuam illius è marmore, è munimentorum fundamentis erutam anno reparatæ ſalutis M.DC.XXII. hic reponendam cenſeo, quæ Regiæ Academiæ, Muſiſque à Magiſtratu & Conſulibus conceſſa & conſecrata, ab Adamo Abrenetheo Scoto, tunc Gymnaſiarchâ, antiquitatis valdè ſtudioſo, in Cebennas aſportata & traducta fuit ſummo dolore Nemauſenſium; nunc Lutetiæ Pariſiorum apud illuſtriſſimum D. *de la Vriliere*, Regi à Iuſſionibus & Edictis, extat: non tamen adeò integra, vt mihi relatum fuit; olim quippe talis erat.



Simulacrum veriſſimum, vt dictum, eſt non
CONCORDIÆ, vel IVNONIS ſoſpitæ, vt
quibuſdam placet, ſed Deæ SALVTIS, aut HYGIÆ
Æſculapij filiæ, ſerpentem flexuoſis voluminibus
implicatum dextro brachio manu decurtato, ſini-
ſtro cornu-copiam tenentis.

In hunc namque modum figurabatur plerum-
que, tàm à marmorarijs quàm à monetarijs. Bap-
tiſta de Cavalerijs antiquarum Statuarum Vrbis
Romæ Tab. XLIV. Occo in nummis duobus
Adriani pag. 224. 227. quibus Epigrapha: SALVS
PVBLICA. Illuſtriſſimus Conſtantius Landus
Complanus Comes, in Antiochi Soteris numiſ-
ma III. Addendus Triſtanus in Nummis Anto-
nini & Fauſtinæ minoris Vol. I. Caracallæ, Ela-
gabali, & Decij, Vol. II. vbi multa ex Ariſtide ſa-
cror. ſerm. IV. & Pauſaniæ Lib. II. alijſque claris
Auctoribus, enarrat de parvulo Teleſphoro cucul-
lato, Salutis, & Æſculapij comite ac miniſtro, qui
ſanitatem perficere credebatur; quem deſcripſi-
mus pag. 53. Nec omittendus Salmaſius ὁ μακαρίτης,
qui in Spartianum pag. 38. plurima non contem-
nenda de Dijs Auxiliarijs ac aſſeclis, aſſeſſoribus
ſeu conſentibus, more ſuo congerit.

Meritò apponitur Amaltheas cornu, ad deno-
tandam vbertatem, hilaritatem, felicitatem, quæ
per ſalutem, aut ex ea naſcitur: iſta enim cæteráque
boni ominis, per cornu-copiam in numiſmatis

significantur. Erizzo in Tito. Augustinus Antiquitat. Lib. II. Nihil enim homini optabilius esse debet, quàm bona valetudo. Plato Lib. II. de legib.

Cuditur sedens in cathedrâ, tanquam Dea. Catalog. glor. mundi, pag. 121. Iustus Rycquius singulari libello de Capitol. Rom. Cap. XIX. vel quia eo situ requietem adfert. Aut quod sedere identidem debent qui convalescunt; quamvis nonnunquam pedibus stans, aliquando baculo incumbens, prout in numismate nostro repræsentetur; quasi recuperatâ confirmatâque valetudine, surgere è lecto ægroti soleant. Ergo, amice Lector, improbatis neotericorum pravis sententijs, nostris lubens accede: ac

Vive, vale: si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his vtere mecum.

F I N I S.







VIA. in Obſervationibus ad priſcos Nummos Nemauſenſes, *crebrò mentionem fecimus ſtudij & diligentiæ, quam horis ſubciſivis impendimus in conquirendis, ac inveſtigandis Tabulis antiquis, Lapidibus, Nummis, Gemmis, Statuis, Sigillis, Imaginibus, Sepulcris, cæteriſque Monumentis, maximè vt Civitatem noſtram illuſtriorem & celebriorem redderemus; ſyllabum rerum, quæ in inſtituto Opere in III. Volumina diſtincto tractantur, in ſtudioſorum gratiam tradere, noſtriſq. concivibus hanc operam præſtare neceſſarium duximus, vt antiquitatem à ſitu quodammodo vindicemus, quandoquidem vt bellè & verè canit Auſonius:*

MORS ETIAM SAXIS, NOMINIBVSQVE VENIT.



VOL. I.

ANTIQVITATES NEMAVSENSES.

LIBER I.

CAP. I.



VCTORES XLVI. veteres & recentiores, Græci, Latini, Franco-Gallici qui de Nemauſo, nec-non illius Antiquitate, dignitate, ſplendore, nobilitate, ſitu, & cæteris ad eam ſpectantibus loquuntur.

CAP. II.

NOTÆ & obſervationes in Auctores præcipuos Nemauſum laudantes, in queis hæc ſcitu digna occurrunt. In primâ Narbonenſi, Celt

Celticæ Galliæ membro, populi olim clari Volcæ Tectosages, seu Tectosagi occidui, & Arecomici ortivi, quorum Nemausus caput ac Metropolis. Arecomicorum vires, opes, fines satis ampli, Regiones, Montes, Vrbes, Oppida, Vici, Fluvij, Portus, Insulæ recensentur. Privilegia in illos à Pop. Rom. & Cæsaribus collata. Peregrinatio Augusti in Galliam Narbonensem, & de Circio Vento eam infestante. Secessus Tiberij in Insulam Rhodum, & Statuarum triumphalium eversio à Nemausensibus facta; ac de injuriâ à callido Principe dissimulatâ. Nemausensium promptum obsequium, & cultus erga Tiberium cæterósque Imperatores. De nobilium, ac civium Romanorum, in Civitatem Nemausum adventu, temporibus Augusti, & XLV. Villarum, aut amplius, ædificatione in agro Nemausensi priscum adhuc nomen retinentium. De Insulâ vulgò *la Camargue*, quædam obiter annotantur. De situ Vrbis nostræ, & itineribus Romanis, ac viâ Aureliâ publicâ, seu militari, ducente Româ per Tusciam, ac Alpes maritimas, Arelaten, *Nemausum*, Narbonem, Tarraconem, ad vltimas Hispanias vsque, columnis milliarijs ornatâ & distinctâ. De Cœli ac soli Nemausensis bonitate & vbertate, hortorum amœnitate, saltuum ac nemorum (idiomate nostro *Garrigues*) semper vernantium & fragrantium (qualis mons Hymettus, aut Arabia felix) præ-

ſtantiâ; cocci, ſeu grani tinctorij Arabum *Kermes*, ſerici, mellis, lactis, caſeolorum, lanæque magno proventu: necnon vini generoſi, ficuum, pomorum, oleíque præpinguis, frugúmque omnis generis.

CAP. III.

DE ORIGINE Vrbis noſtræ, ab HERCVLE, non Thebano, ſed Ægyptio monſtrorum domitore, vel NEMAVSO filio ad annum mundi MMCCC. aut præter propter, vt nonnulli, volunt, conditæ: déque Polypædiâ Herculis.

CAP. IV.

DE illis qui Dominio NEMAVSI potiti fuere, & variâ fortunâ ac cladibus, ſub Gallis, Romanis, Gothis, Francis.

CAP. V.

COMITES â Carolo Magno, & Ludovico Pio, Gothis & Saracenis profligatis, Aquitaniæ, Galliæ Narbonenſi, cæteríſque Provincijs ab aulâ remotis præpoſiti. Poſtremorum Comitum, ac Vice-Comitum NEMAVSENSIVM res geſtæ memorabiles, ex Archivis publicis, & ſcriptoribus

coæt

coætaneis : eorum jura, privilegia, beneficia Consulibus & civibus NEMAVSENSIBVS concessa, à Francorum Regibus plenius confirmata, post Nemausensis Comitatus cum sacro patrimonio confusionem, per decessum sine prole Alphonsi Pictonum Comitis Lud. IX. fratris, & Ioannæ Tolosanæ Raimondi VII. vltimi Comitis filiæ. Senescalli in locum Vicariorum Comitum, à Regibus Christianissimis instituti. Series (interrupta tamen) Senescallorum Bellicadri & Nemausi, ab anno MCCXXVI. & MCCXXVIII. ignota hactenus, & inedita.

CAP. VI.

EXPLICATIO duorum vetustorum Numismatum Nemausensium ex ære.

CAP. VII.

NEMAVSVS *Christiana*, Ædibus sacris, Episcopatu, quatuor Concilijs illustris. *Politica, & Forensis*, Consulatu, & diversis Iudicum Decurijs; déque earum Iure, auctoritate, & Iudiciaria ditione. Ad finem Capitis, chartarum Nemausensium ope, supplentur aliquot Episcopi, à G. Catello Senatore Tolosano, & alijs in Præsulum Nemausensium nomenclaturâ prætermissi.



LIBER II.

CAP. I.

SIMVLACRVM novæ & antiquæ Vrbis: déque crassiorum murorum ambitu, nonaginta, vt quidam conjiciunt, validis turribus munitorum; & nominatim de Turri Magnâ, seu Decumanâ, Vinateriâ, & Castelli Regij turribus. Designatio insignium ædificiorum & septem collium, quibus Vrbs insidebat.

CAP. II.

PORTÆ recentes sex, & vetustæ decem, cum vijs publicis, & vicinalibus ducentibus ad Volcas finitimos, Cavaros Saluvios nempè, Helvios Celtas, Gabalos, Cemmenos montes, Arvernos, Rutenos, Cadurcos, Tectosages, Narbonios, seu Atacinos, & populos remotos.

CAP. III.

DESCRIPTIO Amphitheatri, & figurarum ſymbolicarum in illo ſculptarum; itémque Campi Martij.

CAP. IV.

DESIGNATIO Ichnographica, & Orthographica Baſilicæ Adriani, ſive Capitolij, hodie domus quadratæ.

CAP. V.

TEMPLVM ad Fontem, Dianæ nuncupatum, cum ſolo Ichnographico & opticâ ædificij delineatione.

CAP. VI.

DE Fonte famoſo, & Viſtro fluvio pellucido, per proximas paludes, in mare Volcicum vno oſtiolo defluente.

CAP. VII.

DE Echo reſonabili.

CAP. VIII.

DE Balneis & Thermis, ac Sphæriſterijs.

CAP. IX.

PONS Gardius cum Aquæductu ſuperimpoſito, aquas limpidas ex Vricæ fontibus ſacris, per ſeptem leucas Nemauſum flexuoſis ſemitis derivante.

CAP. X.

PALATIVM antiquum, hodie Forum Iudiciarium, ſeu dicaſterium.

CAP. XI.

TEMPLVM Cathedrale Beatæ Virgini conſecratum, cum reliquijs vetuſtatis, tàm intra, quàm extra, conſpicuis.

CAP.

CAP. XII.

BASILICA, seu Hospitium Regium, vulgò *Thesauraria.*

CAP. XIII.

CVRIA Civilis, aut Municipalis Senatus.

CAP. XIV.

COLVMNA cum Salamandrâ flammis obseptâ, quam erexit Francisco I. Francorum Regi P. P. M. P. Q. N. Patri Patriæ, Magistratus Populus Que Nemausensis, cùm Vrbem nempe ingrederetur anno M. D. XXXIII.

CAP. XV.


GYMNASIVM Literarium, sive Academia à Francisco I. fundata anno M. D. XXXIX. à cæterísque Regibus beneficijs ornata: déque illus disciplinâ, legibus, Rectoribus, seu Gymnasiarchis doctrinâ præstantibus.

CAP. XVI.

TEMPLA duo Reformatorum.

CAP. XVII.

PLATEÆ & Fora.



LIBER III.

CAP. I.

VETVSTATIS reliquiæ Nemauſum illuſtrantes cum figuris, quæ non inveniuntur apud Albenatem, nec alios Antiquitatum noſtrarum deſcriptores: & præſertim Simulacra, Sigilla, Statuæ Deorum, Dearúmque, Imperatorum, Auguſtarum, necnon illuſtrium Romanorum, vt Mutij Scævolæ, dextram foculo ad ſacrificium parato injicientis, M. Curtij juvenis ſe cum equo in ſpecum pro ſalute Reip. immittentis, aliorúmque clariſſimorum virorum.

CAP. II.

SIMVLACRA, & effigies ignotæ.

CAP. III.

AQVILÆ marmoreæ capitibus truncatæ; atque diverſorum Animalium Icones, Pavimentum teſſellatum, quod *Moſaïcum* dicunt. Graphia ac Stili, Fibulæ Veſtiariæ, item & Citharœdicæ, quibus pudenda Citharœdorum & Comœdorum coërcebantur, Claves ferreæ, Strigileculæ æneæ Balneariæ, Spècula è Chalybe, Lampades penſiles, ac demum Candelabrum vitreum elegantiſſimi operis.

CAP. IV.

INSIGNIA Religionis Romanæ cum inſtrumentis Sacrificiorum, Diſco, Paterâ ex ære variæ formæ, Simpulo, Capedunculâ, Gutto, Vrceo, Aquiminali, Ahenis, alijſque Vaſculis, tùm æreis, tùm fictilibus, è terrâ Lemniâ, è noſtrâ ſupellectile antiquariâ ferè depromptis.

CAP. V.

RES FVNEREÆ describuntur. Duplex defunctos monumentis condendi modus, frequens apud Romanos & Arecomico-Nemaufenses, corpora terræ mandando, vel igni comburendo. Exhibentur quædam Sepulcra marmorea, Sarcophagi, Arcæ lapideæ, plumbeæ, Vrnæ sepulcrales, ac cinerariæ, marmoreæ, ex ære fusili, fictiles, è terrâ rubrâ, subnigrâ, è vitro, præsertim vascula lacrymatoria, plurimáq; vascula ignota testacea, Lucernæ sepulcrales fictiles, ęneæ cum lychnuchis, seu candelabris tripedibus ex metallo, quæ Antiquarij nondum viderunt; déque oleo & lino incombustibili multa differuntur. Deorum Penatium & Isidis sigilla, è sepulcris recens eruta delineantur: Item aviculæ, pisces, & animalia queis defuncti in vitâ oblectabantur, crepundia cum quibus pueri tumulati. Specula è chalybe rotunda, necnon quadrata: strigiles, torques, armillæ, instrumenta quædam Sutorum, Chirurgorum, Architectorum, & aliorum Opificum; Gemmæ, Annuli, Numismata, Sepulcra integra QVADRATORVM, VRSINORVM, TROBIORVM, MATERNORVM & ignotorum, paucis abhinc annis detecta & effossa, curiosis demùm aperiuntur & evulgantur. De Naulo, sive pretio Charontis portitoris, Græcis

Græcis Δανάκη; quod mortuorum ori imponebant pro vecturâ, in ſepulcris Nemauſenſibus ſatis frequenter invento.

CAP. VI.

NVMMI Aurei, Argentei, Ærei, diverſis temporibus Nemauſi reperti magno numero; item Annuli, Lapilli, ac Gemmæ inciſæ, & exciſæ. Elegantiorum figuræ proferuntur.

CAP. VII.

VIRI illuſtres; item ſcriptores Nemauſenſes veteres & recentes.

CAP. VIII.

MORES & ſtudia Nemauſenſium, cum priſcorum, tum hodiernorum.



VOL. II.

INSCRIPTIONES ANTIQVÆ DXXV.

VRBIS ET AGRI NEMAVSENSIS,

necnon Locorum & Oppidorum intra III. aut IV. lapidem, ad faciliorem intellectum, in XVI. capita distinctæ, suísque Iconibus expressæ.

CAP. I.



OTA & dedicationes Dijs, Deabúsque factæ.

CAP. II.

SACRA, Sacerdotes, Magistratus sacris faciundis, Ministri sacrorum, Collegia, Sodalitia ac Corpora.

CAP.

CAP. III.

DEDICATIONES Imperatorum & Augustarum.

CAP. IV.

ORDINES, Magistratus majores, minorésque. Dignitates & honores, ac Officia publica.

CAP. V.

QVÆ ad rem militarem pertinent.

CAP. VI.

OPERA, loca publica, item Imperatorum Cæsarúmque epitheta, columnis, lapidibus juxta vias erectis, incisa.

CAP. VII.

OFFICIA domus Augustæ, & privatarum.

CAP. VIII.

ARTIFICIA, Artes minores, & ſtudia.

CAP. IX.

EPITAPHIA quibus amor & affectus parentum erga liberos oſtenditur.

CAP. X.

AFFECTVS liberorum erga parentes.

CAP. XI.

AFFECTVS Conjugum.

CAP. XII.

AFFECTVS Fratrum & Sororum.

CAP. XIII.

MONVMENTA sepulcralia Hæredum, Gentilium, Familiarium, Cognatorum, Sodalium, Amicorum, Alumnorum, Contubernalium, & aliorum benemeritorum.

CAP. XIV.

AFFECTVS mutui Dominorum ac Patronorum erga servos libertósque.

CAP. XV.

AFFECTVS libertinorum, & contubernalium atque servorum inter se, & in suos.

CAP. XVI.

MONVMENTA singulariorum ab incertis posita.

INSCRIPTIONES recentes NEMAVSENSES.

INSCRIPTIONES rudibus literis exaratæ, quæ GOTHICÆ dicuntur.

INSCRIPTIONES antiquæ VTICENSES XXXII.

NOTARVM, ac literarum singularium, dictionúmque contractè in inscriptionibus antiquis Nemausensibus scriptarum, series & explanatio.

DESIGNATIO locorum, vnde desumpti sunt lapides insculpti.

INDEX amplissimus in inscriptiones antiquas Nemausenses, continens res memorabiles; necnon propria nomina, & cognomina, tam virorum, quam mulierum, quæ in illis occurrunt.



VOL. III.

DE RE NVMMARIA VETERVM.

CATALOGVS Auctorum, qui de Numiſmatibus ſcripſerunt, vel qui ad illorum intelligentiam faciunt.

DE vtilitate capiendâ è Numiſmatis.

AN Numiſmata ſint monetæ annumeranda.

DE materiâ, & falſitate Nummorum.

DE fabricatione, & notis Nummorum diverſi generis.

DE characteribus, numeris, & literis in illis expreſſis, diverſæ formæ.

DE Numiſmatibus incognitis, vel ſaltem obſcuris, & abſtruſis.

EXPLICATIO & illuſtratio DXXXVI. antiquorum Numiſmatum ex diverſis Auctoribus, & *ſolo Nemanſenſi* collectorum, ordine alphabetico, cum figuris.

QVICQVID SVB TERRA EST IN APRICVM PROFERET ÆTAS.

F I N I S.



COMMENTARIUS
CAROLI PATINI,
IN
ANTIQUUM MONUMENTUM
MARCELLINÆ,
E GRÆCIA NUPER ALLATUM.



PATAVII, M. DC. LXXXVIII.
Ex Typographia Seminarii.


SUPERIORUM PERMISSU.

ILLUSTRISS. & EXCELLENTISS. D.

D. FRIDERICO MARCELLO,

SENATORI AMPLISSIMO,

CAROLUS PATINUS.



Erente litteratorum consuetudine suas meditationes chartis consignatas alicui offerre, ei maximè attendunt prudentiores, ut certo quodam pacto congruerent, aut certè disconvenirent nullo. Modico farre & saliente mica, rebus quidem humano generi utilissimis, sed tenuissimo ac vulgari prorsus libamine, immortali Numini sacrificare licuit: Cæcum picturis, doctis lucubrationibus imperitum, togatum Senem armis donare nusquam licuit: Quævis profecto offerre, sed non quibus, semper fas fuit.

Quo minùs vereor hunc qualemcunque Commentarium Tibi dicare, Illustrissime & Excellentissime D. antiquissima nominis tui gloria refertissimum. Recentiorem Majores tui, monetis, navibus, festis MARCELLINIS, fascibus, lituis, triumphalibus ornamentis, coronis, majestateque ita decoraverunt, ut MARE COELUM propriis nominibus illos decantare videantur. Et maximè Laurentius ille MARCELLUS, quem, ingens civium amor supra Pompejum extulit, extrema hostium ad Helespontum profligatio, Achillem Venetum cognominavit. Recentissimam ipse Tu præbes, ut quam prodigiorum mater Græcia in celebribus illis Septemviris sapientiam admirata est, cultiorem in Te suspiciat, necesse est, ejusdem Græciæ vi-

ctor Venetus Genius. Inde est ut MARCELLINAM meam Tibi offerre constituerim, ad tantæ gentis decus suam conferentem symbolam.

Qua pacto elegans illud Monumentum ad meas manus pervenerit, jam enarrandum duco. Sublevandis sine crimine, vitæ miseriis, studiique medici asperitatibus, vetera antiqua quæ occurrerent omnis generis signa investiganda mihi proposui, quò præter summam animi recreationem, Reipublicæ litterariæ ac posteris quomodocunque indicarem, natum me, nec plane inutilem civem cosmopolitanum fuisse, sed quamvis ludentem & pro παρέργῳ, *quidpiam eruditæ eorum delectationi contulisse.*

*Amicos aliquot eram adhortatus, dum quid ejusmodi compareret, me monere dignarentur: E quibus unus cujus ægritudinibus mederi soleo, & ille mei studiosissimus, litteris significavit marmorea quædam fragmenta, antiqui operis, tabellas præcipuè duas seu cippos, caput unum, atque varia statuarum frusta, apud mercatores exteros è Peloponeso redeuntes, latere vænaliaque prostare: Confestim delineatoris operam curavi adhibendam, a quo post alterum diem excepi rudia pretiosissimorum signorum lineamenta. Iis perspectis, Amicum scripto rogavi, ne crumenæ parceret, hanc mihi emptionem ita cordi esse, ut ni moraretur publicum docendi munus, vix me contineri posse, quin Venetias advolarem. Spei successit eventus, & ardenti meo desiderio diligentissimè & amplissimè satisfactum est. Marmora illa tua sunt, rescripsit ille, æquo ut opinor pretio coëmpta, in ædes meas illico deportata, crasque occasione charissimi tui nepotis Ludovici Patavium redeuntis, ad Te mittenda. Salienti præ lætitia cordi nox, fatebor, paulò longior fuit: Quæ jucundè nuntiata fuerant, majori me voluptate perculerunt, cùm ad civitatis portum (*portello *dicunt) appulso, ex humeris bajulantium nonnihil sculpturæ quasi furtim intueri licuit. Domum exportata, majori me gaudio affecerunt, ac præcipuè mirabile illud MARCELLINAE, ut de cæteris taceam, monumentum, adeo egregiè sculptæ, ut immortali Praxitelis, Phidiæ, aut Lysippi fama non indignum opus esse videretur.*

Ultrò

Ultrò me recreabant eruditi characteres rem sacram demonstrantes: Sacram dico, ad Festi mentem: Sacrum enim est, *inquit*, quodcunque modo & instituto civitatis consecratum sit, sive ędes, sive ara, sive signum, sive locus, sive pecunia, sive quid aliud quod Diis dedicatum & consecratum sit, *quibus certè nihil ad rem nostram convenientius. Anpræteribo l. 6. §. 2. ff. de divis. rer.* Sacræ res sunt quæ publicę consecratæ sunt, non privatè, *hoc quippe marmor a bino populo Æternitati consecratum est: Et l. 9.* Sacra loca ea sunt quæ publicè sunt dedicata, sive in civitate sint sive in agro. *Talia cogitanti ac dicenti facetè objecit quem itineris comitem deduxeram, juris non ignarus*, res sacras in commercium duci non posse, nec ideo earum dominium acquiri, *l. 6. & 34. §. Omnium, ff. de contr. emp. & l. 2. §. 1. ff. quæ rei pign. Timidiorem terruisset hoc Sophisma*, Commercium; *inquiebam*, & emptio inter legitimos acquirendi modos numerantur, *ut constat ex l. 5. ff. de just. & jure: Ejusmodi deinde Paganorum sacra, a sacrosancta Religione Christiana esse abrogata nemo nescit, nunc ideo profana habentur, & acquiri legitimè possunt: Utinam profectò plura! Risum est, nec ulteriùs altercatum.*

Sic mea esse marmorea fragmenta, tùm fortunâ tum legibus consentientibus vides, Illustrissime & Excellentissime Domine, potiori jure possidenda, si Tu ea asserueris, si Tu benigno oculo respexeris. Nobis verò litterarum & bonarum artium studio flagrantibus, sperandum est, ut quæ tribus annorum millibus sibi sacravit sagax Musarum patria, statuas, colossos, ædiculas, anaglypta opera, columnas, Numina, signaque innumera eadem sibi vindicet Majestas Veneta, cujus incomparabili generositati ac herculeæ planè fortitudini, cedentes hinc illinc barbaros Turcas insolentis sui in litteras odii pœnam tandem luentes cernimus. Votum exaudiat D. O. M. ut dum Christianam fidem Venetumq; dominium ampliat, familiæ MARCELLAE gloriam tueatur.

Patavii, Kal. April. *VENERI sacr.* M. DC. LXXXVIII.



Inſcriptio Zophori.

Ο ΔΗΜΟΣ ΣΜΥΡ. ΜΑΓΝ.	*Populus* *Smyrnenſium, Magnetum.*

Inſcriptio Baſis.

ΟΥΛΠΙΑ ΜΑΡΚΕΛΛΕΙΝΑ ΟΥΛ. Θ. ΑΡΧΙΕΡΕΙΑ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΟΥΡΑΝΙΑΣ.	*Ulpia Marcellina* *Ulpiæ filia* *Sacerdos maxima* *Veneris Uraniæ.*

Inſcriptio Aræ.

ΕΡΩΤΙ ΟΥΡΑΝίω	*Cupidini* ſive *Amori* *Uranio* *Cæleſti.*



COM-



COMMENTARIUS IN ANTIQUUM MARCELLINÆ MONUMENTUM.



Τήλας seu cippos tum lapideos tum marmoreos sepulcris Græcorum Romanorum-ve imponi solitos fuisse, demonstravit abunde noster in TRYPHÆNÆ monumentum Commentarius, ut hanc crambem recoquere non sit opus. Sepulcris novis modum *finivit Demetrius*, inquit Cicero, de legibus, *nam super terræ tumulum noluit quid statui, nisi columellam tribus cubitis non altiorem, aut mensam, aut labellum; & huic procurationi certum magistratum præfecerat*. Vetaverat quidem Plato ad sepulcri usum, *ullam partem sumi ex agro culto, eoque qui coli posset; sed ut natura agri mortuorum corpora sine vivorum detrimento acciperet, ea potissimum ut compleatur. Quæ autem terra fruges ferre, & ut mater cibo suppeditare possit, eam ne quis nobis minuat, neve vivus neve mortuus*.

Cautiores illi profectò Achæis ædiculas strnentibus lapidesque immensæ interdum magnitudinis suis cadaveribus imponentibus, ut nihil postmodum utilitatis γῆ μήτηρ *Terra mater* producere possit. Simile quid videre est in publico Hebræorum Venetorum conditorio, ad maris littus, quod *lido* vocant. Atque etiam in interioris inclitæ Basileæ mœniis, constructis ornatisque maximè lapidibus ἐπιτάφια continentibus, postquam ante ducentos annos Judæi è civitate in exilium pulsi sunt, disjectaque eorum sepulcra.

Alienum a proposito non erit referre Urbani VIII. P. M. bullam Christianis prohibentem ulteriorem sepulcrorum supra terram constructionem, qualia in totius fere Europæ templis ac cimetæriis prospiciuntur, jubentemque cadavera in terra condi, seu eæ reddi è qua prodibant.

Marmorea hæc tabula more Græco in honorem ULPIÆ MARCELLINÆ, ULPIÆ Filiæ, SACERDOTIS MAXIMÆ, Deæ VENERIS URANIÆ a POPULO SMYRNENSI & MAGNETE posita est. Binos hosce populos conjunctim ad posterorum memoriam lapides multos inscriptionibus nobiles sacrasse infra declarabimus. At cur MARCELLINAM amplissimo hoc honore prosecuti fuerint, nondum assequor, quod tamen ex ignotis mihi libris, aut eruendis lapidibus demonstrari tandem poterit.

In medio Marmore stat MARCELLINA, capite aperto, qualem Sacerdotem magnam decet; membris tam venustè compositis, ac-

parentem; ut *Asinos* nuncupaverint tum ab Amore tum a Musica alienos. Ludos musicos in honorem CUPIDINIS factos commemorat Pausanias, *in Bœoticis*, his verbis: Περιοίκουσι δὲ καὶ ἄνδρες τὸ ἄλσος καὶ ἑορτὴν τε ἐνταῦθα οἱ Θεσπιεῖς καὶ ἀγῶνα ἄγουσι Μουσεῖα· Ἄγουσι δὲ καὶ τῷ ΕΡΩΤΙ ἆθλα, οὐ μουσικῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀθληταῖς τιθέντες. Achatem vidimus, in qua Cupido lyram pulsat, videratque Pausanias *AMORIS lyram tenentis* monumentum, *Pausiæ opus*: ἐν δὲ αὐτῷ Παυσίου γράψαντος βέλη μὲν καὶ τόξον ἐστὶν ἀφεικὼς ΕΡΩΣ, λύραν δὲ ἀντ' αὐτῶν ἀράμενος φέρει. Equidem apud Euripidem, *Musicam docet AMOR quemlibet ejus rudem prius*, Μουσικὴν τ' ἄρα ΕΡΩΣ διδάσκει κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν.

Lepidum Bionis somnium ex ejus Bucolicis hîc transcribere liceat,

Α μεγάλα μοι ΚΥΠΡΙΣ ἔθ' ὑπνώοντι παρέστα
Νηπίαχον τὸν ΕΡΩΤΑ καλᾶς ἐκ χειρὸς ἄγοισα καὶ τ. λ.

Hoc est,

Magna mihi VENUS adhuc dormienti astitit,
Infantem Amorem pulchra manu ducens,
In terram nutantem, ac his me verbis afflata est.
En tibi, chare bubulce, Cupidinem, ut eum canere doceas;
Sic loquuta abijt: Ego autem mea pastoralia carmina
Stultus, tanquam discere volentem Cupidinem docebam:
Quomodo fistulam obliquam Pan invenerit, Minerva tibiam,
Testudinem Mercurius, & citharam dulcis Apollo.
Hæc ipsum edocebam nihil curantem mea carmina.
At ipse mihi canebat amatoria, meque docebat.
Mortalium & Immortalium ignes, & Genitricis opera suæ.
Tum ego oblitus illorum, quæ Cupidinem docueram,
Quæcunque me docuit Cupido amatoria cuncta didici.

Pone aram Cupressus est, è cujus ramis prodit serpens quasi MARCELLINÆ abblanditurus. De utroque satis diximus, in LU. MURDII HEROIS commentario. Myrtum aliquis diceret, hæc enim VENERI sacra, ut olea Minervæ, quercus Jovi, populus alba Herculi, hædera Baccho, & Phœbo laurus.

Populus Alcidæ gratissima, vitis Jaccho,
Formosæ Myrtus VENERI, sua laurea Phœbo.

Smaragdum incidi curavit doctissimus Laurentius Begerus è THESAURO PALATINO, in quo Amorem explicat Cœlestem, juxta arborem clypeo aræ imposito innixum, sinistro pede globum calcantem: Arborem sic exponit: Et ne sterilem arbitreris, vel effœta frutex revirescit, novaque fronde securam quietem inum-

brat. En rationem, cur in VENERIS Cnidiæ luco, arbores fuerint, non varii tantum generis, sed & effœtæ jam ætatis præ vigore tamen quasi juvenescentes, & novis subinde ramis integræ & formosæ; attestante Luciano, *in Amoribus*.

In ulteriori parte, pariter & in aliis monumentis observavimus tabellam duabus arculis onustam. An acerræ sint, thuri reponendo dictæ, quod in honorem mortui incendebatur. In glossario veteri, *Acerra thuraria* λιβανωτρίς. Octava XII. tabularum lex Romanis prohibuit, *uti ne sumptuosi respersio fieret: neve murrhata potio mortuo inderetur; neve longæ coronæ: neve ACERRAE adhiberentur*.

Memorat Plutarchus, in Catone, *exquisitos vapores*: & Tacitus l. 3. Ann. *Odores aliaque funerum solemnia cremari*; & Val. Max. *Caput Pompeji plurimis, & pretiosissimis odoribus cremandum curavit Cæsar*: Et passim. Quem quidem morem ab Hebræis fluxisse verisimile est. Ex l. 2. Paralip. c. 16. *Et sepelierunt eum in sepulchro suo, posueruntque eum super lectum suum plenum aromatibus, & unguentis &c. & combusserunt super eum, ambitione nimia*. An pixides, an risci? Riscus quidem in mundo muliebri recensetur ab Ulpiano, in *l.25. §.4. D. de aur. arg.* Pollux ῥίσκον inter arculas reponit: Eam fortè denotat capsulam, in qua linteola munda mulieres reponunt, quibus lotam corporis partem abstergunt: Riscus enim cum lavatione conjungitur. Quidni istæ arculæ, res ad Sacerdotium attinentes non continerent?

Cæterùm in multis convenit monumentum hoc nostrum cum descripto inter Oxoniensia LXVIII. *pag.* 126. in quo Fœmina eodem ferè situ & habitu, in pari ædicula peristilio ornata conspicitur. Conspicitur etiam ara, sed Numine vacua, fortè ob edaces temporis injurias: Adstant & duæ puellæ ad ministerium paratæ: Abblandiente heræ suæ Melitei si catulo.

Convenit & cum alio pariter inter Oxoniensia relato X. *pag.* 82. in cujus medio zophoro, orbis est in quo laurea, & idem Ο ΔΗΜΟΣ, *Populus*. Ima zophori pars, exhibet ΑΠΠΩΛΛΩΝΙΑΝ ΚΗΦΙΣΟΦΩΝΤΟΣ, *Apolloniam Cephisophontis*, istam scilicet fœminam egregiè vestitam, quæ in medio stat monumento: Nescio quid gerentibus duabus hinc inde ministrantibus puellis.

Ad Antoninorum tempora, *Sacerdotis maximæ* ΑΡΧΙΕΡΕΙΑΣ Faustæ inscriptionem refert ejus Interpres, quam ex marmoribus Oxoniensibus infra describemus, ad vocabulum ΑΡΧΙΕΡΕΙΑ. Nihil præscriptum de ULPIÆ MARCELLÆ monumento, cujus filiam fuisse nostram ULPIAM MARCELLINAM verisimile est. Nil

ita-

itaque vetat, ad secundum à Christo sæculum, hanc nostrum inscriptionem referre, ut infra ampliùs declarabitur.

Scriptis quæ ad investigationem typi suppetebant, jam ad explicanda singula inscriptionis vocabula procedamus.

O ΔΗΜΟΣ. *Populus*. Multa supersunt unius aut plurium populorum monumenta, tum integra; tum mutila, homines aut facinora Æternitati consecrantia, inter quæ ob egregium typum artificiosissimè sculptum, & eruditam inscriptionem, nostrum hoc MARCELLINÆ ἄγαλμα singularem meretur venerationem. Superbum est illud Smyrnæorum decretum fœderi prævium, quod inter MARMORA OXONIENSIA primum legitur: ΕΔΟΞΕΝ ΤΩ ΔΗΜΩ, ϗ τ. λ. *Placuit populo* &c. Sequens deinde quod Smyrnæorum Magnetumque fœdus explicat, & *amborum populorum amicitiam*, *belli societatem*, *& benevolentiam erga Regis Seleuci majestatem* quibusdam conditionibus asserit. Hic describere variorum populorum fœdera, in nummis aut marmoribus signata, ferè foret inutile, cùm ab erud. Sponio, jam magnam partem præstitum fuerit, *tom.* 3. *pag.* 175. Ad nostram rem sufficiet demonstrasse Smyrnæos, Magnetesque vicinos populos aliquando convenisse, & suam unanimitatem posteris consignâsse, alicujus utilitatis aut affectus gratiâ.

ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Smyrnæorum*. Smyrnam ulteriùs describere operæ pretium non est, ex sequentibus Ἀνθίνοις satis cognoscetur: Θέατρον Ἑλλάδος, Ἰωνίας στέφανος, γῆς ἄγαλμα, κάλλιστη τῶν Ἰωνικῶν πόλεων: Hoc est, *Theatrum Graciæ*, *Asiæ ornamentum decus & metropolis*, *terræ simulacrum*, *& pulcherrima Jonicarum urbium*.

ΜΑΓΝΗΤΩΝ. *Magnetum*. Magnesia urbs duplex fuit in Mœonia, ad Mæandrum sita: Altera Æolidis in Caria, altera ad Sypilum montem. Illam, in panem Themistocli datam fuisse à Xerxe memorat Strabo; *l.* 10. *c.* 4. dum aliæ Orientis urbes, vinum, obsonia, vestes & stragula eidem sigillatim subministrabant.

ΟΥΛΠΙΑ, *Ulpia*. Prænomen aliquando fuit, quod postea in nomen familiæ evasisse opinor. Imp. Trajanus è familia Ulpia ortus erat. Marcus Ulpius Damasippus in proxima inscriptione, prænomen, nomen, & cognomen dabit. ULPIA sæpè legitur in lapidibus Græcis, Romanisque, atque etiam numismatibus.

ΜΑΡΚΕΛΛΕΙΝΑ. *Marcellina*. Non tanta fuit apud Græcos quàm apud Romanos appellationum distinctio, quin & apud hos nec eadem nec perpetua animadvertitur: Antiquioribus enim temporibus, hominem unum designabat vocabulum; sic Romulus, sic Remus dicebantur. Gentes deinde suum habuerunt nomen in *ius* terminatum, docente Sigonio: exempla sunto Aburius, Cornelius, Julius, Manlius. Familiæ, ut rami è trunco orti, gentis suæ nomini cognomen addiderunt, quod tum prænomine tum agnomine, progressu temporis, nobilitatum est. Quid obstat ULPIAM apud Græcos prænomen aliquando fuisse, quæ familiæ nomen ut apud Romanos exstitit? Cur MARCELLINA apud Græcos non fuerit nomen familiæ, quamvis apud Romanos, è Claudia gente, cognomina Pulchrorum & Marcellorum fluxisse conveniamus: Quidquid sit, tam latè patuit MARCELLORUM atque MARCELLINORUM denominatio, ut nullam aliam crediderim tum in Græcia tum Romæ, quæ tot ac tantos homines ad nostra usque tempora transmiserit: Nec malam me spero gratiam inituru m à φιλαρχαίοις, si nonnulla antiqna MARCELLORUM & MARCELLINORUM monumenta in hunc locum congessero. Thyatiræ, ex Itiner. Sponii, *t*.3.*p*.108.& Vvheleri *p*.235.

ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ	*Cum bona Fortuna,*
Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ	*Senatus & Populus*
ΕΤΕΙΜΗΣΑΝ	*honoravit*
ΟΥΛΠΙΑΝ ΜΑΡΚΕΛΛΑΝ	*ULPIAM MARCELLAM*
ΤΗΝ ΙΕΡΕΙΑΝ ΤΗΣ ΑΡΤΕ-	*Sacerdotem Dianæ,*
ΜΙΔΟΣ ΜΑΡΚΟΥ ΟΥΛΠΙΟΥ	*Marci Ulpi*
ΔΑΜΑΠΑΡΑΔΟΞΟΥ	*Damaparadoxi*
ΚΑΙ ΚΑΝΙΔΙΑΣ ΒΑΣΣΗΣ	*& Canidiæ Bassæ*
ΘΥΓΑΤΕΡΑ ΕΠΙΤΕΛΕ-	*filiam, postquam*
ΣΑΣΑΝΤΑ ΤΗΣ ΘΕΟΥ	*peregisset Deæ*
ΜΥΣΤΗΡΙΑ ΚΑΙ ΤΑΣ ΘΥ-	*mysteria & sacrificia*
ΣΙΑΣ ΛΑΜΠΡΩΣ ΚΑΙ	*splendidè &*
ΠΟΛΥΔΑΠΑΝΩΣ καὶ τ̃ λ.	*sumptuosè, &c.*

Quid obstaret opinioni, MARCELLINAM cujus monumentum collustramus, illius ULPIÆ MARCELLÆ filiam fuisse? Id suadet nominis fluxio; Ut a Marco Marcelli, sic a Marcella Marcellinam dici certum est. Utriusque dignitas sacerdotalis conjecturam firmat. MARCELLINA porrò summum Sacerdotij apicem consequuta est, ut ex voce sequenti ΑΡΧΙΕΡΕΙΑ patet, qui MARCELLÆ, forte ob vitæ brevitatem, defuit. Tempora deinde conveniunt, cùm utramque Antoninorum sæculo vixisse constet ex sequenti inscriptione. Nec prohibet locorum diver-

diversitas, ut pote cùm vicini populi sæpè eosdem habuerint Pontifices. Utrumque manifestè declarat hæc Thyatirensis inscriptio a doctiss. Sponio visa, vulgataque. Itiner. tom. 3. pag. 114.

Η ΠΑΤΡΙΣ	*Patria*
Μ. ΑΥΡ. ΔΙΑΔΟΧΟΝ ΙΠΠΙΚΟΝ	*M. Aur. Diadochum Hippichum*
ΤΟΝ ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ	*Pontificem Asiæ minoris,*
ΝΑΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΠΕΡΓΑΜΩΙ ΚΑΙ	*in templis,* quæ sunt *Pergami, &*
ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΚΑΤΑ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ	*Pontificem eodem*
ΚΑΙΡΟΝ ΤΗΣ ΠΑΤΡΙΔΟΣ	*tempore, patria* Thyatiræ,
ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΒΟΥΛΑΡΧΟΝ ΤΙΜΗ	*dum viveret, Consiliarium*
ΘΕΝΤΑ ΥΠΟ ΤΟΥ ΘΕΙΟΤΑ	*decoratum a divino*
ΤΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ Μ. ΑΥΡ.	*Imperatre M. Aurelio*
ΣΕΟΥΗΡΟΥ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ	*Severo Antonino* Caracalla
ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΣΥΝΑΨΑΙ ΤΑΣ	*Augusto, simul*
ΑΡΧΙΕΡΕΩΣΥΝΑΣ ΤΟΙΣ ΟΞΕ-	*collatis Pontificatibus*
ΣΙΝ ΕΝ ΕΚΑΤΕΡΑΙΣ ΤΑΙΣ ΠΟ-	*in utraque civitate,*
ΛΕΣΙΝ ΦΙΛΟΤΙΜΗΣΑΜΕΝΟΝ	*viris se gerentibus*
ΕΝΔΟΞΩΣ ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΟΦΡΟ-	*gloriosè & magnificè*
ΝΩΣ ΑΝΔΡΑ ΕΠΙ ΗΘΕΣΙ ΚΑΙ	*ob egregios mores,*
ΕΠΙΕΙΚΕΙΑΙ ΚΑΙ ΤΗΙ ΠΡΟΣ ΤΗΝ	*suavitatem, & erga*
ΠΑΤΡΙΔΑ ΕΥΝΟΙΑΙ ΔΙΑΠΡΕ-	*patriam bonam mentem*
ΠΟΝΤΑ.	*& pietatem.*

Facilius inde fuisse opinor ULPIAM MARCELLAM Dianæ, Sacerdotem fuisse Thyatiræ, & ULPIAM MARCELLINAM Sacerdotem *Veneris Uraniæ*, Smyrnæ, quàm M. Aur. Diadochum Hippichum solum duabus in civitatibus duplici inseruisse Numini; Æsculapius enim Pergami, Diana Thyatiræ colebatur. Inscriptionum deinde uniformitas eadem tempora, eosdem ferè mores indicare videtur.

Alterius MARCELLINÆ monumentum extat Romæ, a Grutero descriptum, p. 948. 2.

ΝΕΙΚΗ Η ΚΑΙ	*Nice &*
ΜΑΡΚΕΛΛΕΙΝΑ	*MARCELLINA*
ΑΠΑΜΙΣΣΑ	*Apamensis*
ΕΥΓΕΝΗΣ	*nobilis*
ΕΤΩΝ ΛΕ. ϗ τ. λ.	*annorum* 35. *&c.*

Notandum subit nobilem hanc MARCELLINAM Apamensem, cæterarum fortè fuisse consanguineam: Apamæa quippe Smyrnæ, Magnesiæ & Thyatiræ vicina, probabiliorem efficit conjecturam.

Egregium

Egregium triclinium vulgavit Th. Reinesius, *p.* 668. *Inscr. ant.* quod olim Ateste in horto Georgii Contarini Senatoris Veneti servabatur; in eo duo accumbunt, quorum alter alteri corollam porrigit, cum hac ἐπιγραφῇ.

ΥΠΟΜΝΗΜΑ ΜΑΡΚΕΛΛΟΥ Ο ΚΑΤΕΣΚΕΥΑΣΕΝ ΑΥΤΩ ΜΗΤΗΡ ΜΑΡΚΕΛΛΑ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΖΗΣΑΝΤΙ ΕΤΗ ΚΘ. ΧΑΙΡΕ.	*Monumentum Marcella,* *quod ædificavit ipsi* *mater Marcella Demetrii f.* *vixit an.* 29. *Vale.*

Constantinopoli observavit doct. Sponius quæ *in Itinere* vulgavit fragmenta duo lapidis in Galliam postea delati.

to. 3. *p.* 43. *ad to.* 2.	ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΤΡΑΙΑΝΟΝ ΑΔΡΙΑΝΟΝ ΟΛΥΜΠΙΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ	*Imperatorem* *Trajanum Hadrianum* *Olympium* *Cæsarem Augustum.*

Suppleamus hic ΕΤΙΜΗΣΑΝ, *honoraverunt*

ΑΒΥΔΗΝΟΙ ΤΟΝ ΑΥΤΩΝ ΣΩΤΗΡΑ ΚΑΙ ΚΤΙΣΤΗΝ ΔΙΑ ΠΡΕΣΒΕΥΤΟΥ ΜΑΡΚΕΛΛΟΥ ΜΑΙΟΡΟΣ	*Abydeni* *suum servatorem* *& conditorem* *sub Legato* *Marcello Majore*

Inter Schedas meas nondum vulgatas, egregia est inscriptio, quam olim excerpseram ex ædibus Grimanorum, NN. Venetorum ad S. Mariam Formosam, superiori sæculo eò translatam ab agro Aquiliensi: Eò rariorem quò a diligentissimo Grutero incognitamque, quamvis apud ipsum multæ DEO BELENO sacratæ conspiciantur. Eam porrò a celeber. Reinesio descriptam nuper animadvertimus, optimè meo judicio, MARCELLINI in tertia linea substituente.

Class. 1. *Inscript.* *hui.*

BELEN. AUG.
IN MEMOR JULIOR.
MARCEL. ET MARCELLÆ ET.
IN HONOREM JULIARUM
CHARITES ET MARCELLIÆ FILIAR
ET LICIN. MACRON JUNIOR. NEPOTIS
C. JUL. AGATHOPUS
IIIIII. VIR AQUIL.
L. P. D. D.

Inter

Inter MONUMENTA PATAVINA hanc inscriptionem refert Eques Ursatus, ex ædibus Bassanorum:

M.AURELIO MARCELLINO
CONJUGI DULCISSIMO
SAUFEIA CRISPINA CONJUX.

Tria alia MARCELLINARUM monumenta adjungam, primum ex MARMORIBUS OXONIENSIBUS.

p.105 xlv.

D. M.
P. OPSIO SEVERO
FECIT
ARRIA MARCELLINA
CONJUGI OPTIMO

D. M. VI.
ATILI APRONI
MATUGENIÆ
MARCELLINÆ
SATILI PATERN.

Ex meis schedis.

Hoc suppeditat Gruterus, p. 1143.1. VETTIÆ MARCELLINÆ CONJUGI SANCTISSIMÆ.

Duas MARCELLINAS exhibet idem Gruterus, *in Tarraconensibus monumentis*, Flaminica dignitate ornatas.

p.324. 12.

POSTUMIÆ NEPOCIANÆ
SIVE MARCELLINÆ
EX CÆS. AUG. KARENSI
FLAMINICÆ
UXORI T.PORCI VERRINI FLAM.
P. H. C.

AURELIÆ
MARCELLINÆ
EXCLUNIENS.
FLAMINICÆ
&c.

Flamnicam autem dignitatem alii opinantur fuisse Sacerdotalem, alii ex marito, qui Flamen fuerit desumptam: *Flaminum enim uxores, Flaminicæ vocabantur*, ut tradit Festus, *quibus divortium facere non licebat*. Primam opinionem firmat vetus hoc Gruteri Epigramma.

p. 323. 12.

VALERIÆ C.F.ATINÆ
TUCCITANÆ SACERDOTI
COLONIÆ PATRICIÆ CORDUBENSIS
FLAMINICÆ
COLONIÆ AUG.GEMELLÆ TUCCITANÆ
FLAMINICÆ SIVE SACERDOTI
MUNICIPI CASTULONENSIS.

Flaminem etiam MARCELLINUM commemorat vetus inscriptio a doct. Sponio Athenis observata, super porta arcis: *Tom.3.pag.16.*

ΦΛα-

ΦΛάυιος ΣΕΠΤΙΜΙΟΣ ΜΑΡΚΕΛΛΙΝΟΣ ΦΛΑΜΗΝ ΚΑΙ ΑΠΟ ΑΓΩΝΟΘΕΤΩΝ ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ ΤΟΥΣ ΠΥΛΩΝΑΣ ΤΗ ΠΟΛΕΙ.	*Flavius Septimius Marc.* *FLAMEN ludorum* *Præses proprijs sumptibus* *portas civitatis restituit.*

Solis gentium Numinibus devotas præfectasque fuisse MARCELLAS, nullus credat. *Tanta fuit Marcella*, inquit S. Hieronymus ejus Præceptor, *ut ejus virtutem celebrare potis erant ejus discipulæ, Paula & Eutochium*: Vidua ipsa spretis ulterioribus cum Magnatibus nuptiis, cum electis virginibus, quibus omnia sua bona contulit, vixit; Originistis hæreticis Romanis ita se opposuit, ut hæresim damnari sanctè diligenterque curavit. Post Romam a Gothis captam, objit A. C. CDIX. Marcellinæ Virgini, D. Ambrosii sororis tandem velum imposuit Papa Liberius, oratione egregia hoc de argumento habita, quam D. Ambrosius, *tertio de virginibus libro*, inserere non est dedignatus.

Non præteribo quamdam fuisse MARCELLINAM, quæ referentibus SS. Irinæo & Augustino, *Pythagoræ sapientiæ amore capta, ejus imaginem adorabat*.

Ludos in honorem familiæ MARCELLORUM *antiquissimorum Siciliæ patronorum* Cicero commemorat *l. 2. in Verrem*, ΜΑΡΚΕΛΛΕΙΑ dictos, quos Syracusani cùm recentibus beneficiis M. Marcelli debitos reddebant tum generi, nomini, familiæ Marcellorum, maxima voluntate tribuebant. Sustulit illos Verres & *Verreos* à se nominatos instituit, de quibus idem Cicero consulatur.

Θυγατὴρ. Filia. Nil aliud hîc indicat littera Θ præter proximam sanguinis conjunctionem, ut ajunt Jurisconsulti. In antiquis epigrammatibus sæpè leguntur, ΠΑΤΗΡ, ΜΗΤΗΡ, ΥΙΟΣ, ΘΥΓΑΤΗΡ, ΑΔΕΛΦΟΣ, ΑΔΕΛΦΗ, ΓΥΝΗ, &c. Aliquot exempla ex pluribus hîc apponemus filiam commemorantia.

Ex Gruter p. 608 7	ΑΥΡ. ΗΛΙΟΔΩΡΟΣ ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΚΑΙ ΕΠΙΠΟΔΙΑ ΑΥΡΗΛΙΑ ΘΕΟΔΩΡΗ ΘΥΓΑΤΡΙ ΓΛΥΚΥΤΑΤΗ ΚΑΙ ΑΣΥΝΚΡΙΤΩ ΚΑΙ ΑΜΝΕΣΤΗ ΕΠΟΙΗΣΑΝ: ΗΤΙΣ ΕΖΗΣΕΝ ΕΤΗ Δ. ΜΗΝΕΣ Γ. ΗΜΕΡΑΣ Β. ΩΡΑΣ ΕΞ.	*Aur. Heliodorus libertus* *Augusti & Epipodia Aurelia,* *Theodoræ FILIÆ dulcissimæ,* *& incomparabili & innocētissimæ* *fecerunt. Quæ vixit annos iv.* *menses iii. dies ii. horas sex.*
Romæ ex p. 694 10.	Θ. Κ. ΛΟΥΠΟΥΛΗ ΘΥΓΑΤΡΙ ΖΗΣΑΣΗ ΕΤΗ Δ. ΜΗΝ. Ζ. ΛΟΥΠΟΥΛΟΣ ΠΑΤΗΡ ΕΠΟΙΗΣΕ	*Dis manibus* *Lupulæ filiæ* *Quæ vixit* *Annos iv. menses vii.* *Lupulus pater* *fecit.*

Amasia: ex Grut. p. 1127. 7	ΕΥΤΟΧΙΟΣ ΚΑΙ ΑΘΗΝΑΙΣ ΤΗ ΘΥΓΑΤΡΙ ΜΝΗΜΗΣ ΧΑΡΙΝ	*Eutochius & Athenais* *FILIAE* *Memoriæ gratia*.

In zophoro cippi, cui insculptæ sunt duæ figuræ patris & filiæ; inter schedas meas.

ΕΠΙΚΤΗΣΙΣ ΟΝΑΣΙΟΥ ΚΥΘΗΡΙΟΥ ΘΥΓΑΤΗΡ.	*Reconditorium Onasii Cytherii* *FILIA*.

ΑΡΧΙΕΡΕΙΑ. *Summa Sacerdos* Sacerdotii à fæminis exerciti originem tradit Dionysius Halic. *ant. Rom. l.* 2. his verbis: *Quoniam autem nonnulla etiam sacra per mulieres fieri oportebat, & alia per pueros patrimos matrimosque, ut hæc quoque optimè peragerentur, jussit (Romulus) uxores sacerdotum cum suis maritis sacerdotio fungi, & si qua sacra nefas esset, patrio more à viris fieri, hæc ab illis peragi. Ita Virgines Vestales Vestæ ministrabant, sacrumque ignem custodiebant.*

Fortunæ quoque muliebri, cujus templum Matronæ Romanæ, ob Marci Coriolani rabiem, à matre, mulierum suasu, emollitam; extrui à senatu petierant, sacræ Fœminæ administrabant: *Et quidem*, ut narrat idem Dion. *l.* 8. *Mulieres ex suæ Sacerdotis sententia morem constituerunt, ut neque coronæ huic simulacro imponerentur, neque manus ad id à mulieribus, quæ secundas nuptias expertæ fuissent, admoverentur: Sed recens nuptis honor iste deferretur, & hujus cultus cura omnis iis committeretur.* Hinc Sacerdotes Bonæ Deæ seu Faunæ, seu Fatuæ, ad quam non nisi mulieribus ingredi fas erat; de cujus sacrificiis Plutarchum consulere licet, *quæst. Rom.* 20. Hinc, Festo monente, *Flaminia dicebatur Sacerdotula, quæ Flaminiæ Diali præministrabat.* Est & apud Senecam de Sacerdote prostituta, controversia perelegans, l. 1. *contr.* 5. Ita Eques Sert. Orsatus, *in monum. Patavin.*

Solis tamen Deabus administrâsse Sacerdotes fœminas ex antiquis monumentis constat, ut Pythiam Delphicam non Apollinis Sacerdotem, sed vatem fuisse nullum dubium sit, quæ sacra nullo modo perageret; id tantùm, oracula ex tripode acciperet. Verùm posterioribus temporibus, mos ille antiquatus est, & fœminas Numinibus maribus, & Cæsaribus sacra patet fecisse nonnullas, ut ex infrascriptis epigrammatibus constabit.

Eodem modo quo tres Vestalium ordines Romæ, ita tres Smyrnæ, Ephesi, & alibi, Antistitum Fœminarum: Μελλιεραὶ Ἱεραὶ, & Παριεραὶ. Μελλιεραὶ erant candidatæ, quæ tantum ritus & mysteria, quibus Dea colebatur, discebant. In quibus perdiscendis dùm definitum tempus peregissent, ad Sacerdotium admissæ, Ἱεραὶ factæ erant, omniaque ministeria templi per certum tempus peragebant: Eo autem

tem peracto, ut pote Sacerdotio defunctæ, ab omnibus illius ministeriis & officiis liberatæ, in Παρρησιῶν classem promovebantur, iisque deinde solùm incumbebat prospicere, ut omnia Deæ sacra à Sacerdotibus ritè peragerentur, eademque à Candidatis discerentur. Unde plures in eodem templo ΑΡΧΙΕΡΕΙΑΣ fuisse nihil prohibet, cùm vox ΑΡΧΙΕΡΕΙΑ, non tantùm Sacerdotem summam, & omnium primam, sed unam inter summas & primarias etiam significet; Eodem modo quo Α'ρχιερεὺς non unus erat, sed plures Α'ρχιερεῖς, ut videre est apud Matthæum, 2. *v.* 4. Ex illa secunda classe, hoc est Ι'ερᾶν fuisse constat ULPIAM MARCELLINAM in superiori monumento celebratam, p. 385.

Sacerdotes fæminas multas olim fuisse testantur inscriptiones frequentes, tum græcæ tum latinæ, quarum selectas aliquot oculis subjiciemus, ac primùm Atheniensem illam celeberrimam.

Ex Gr. p. 195. 9.

Ο ΔΗΜΟΣ	*Populus,*
ΘΕΑΙ ΡΩΜΗΙ ΚΑΙ	*Deæ Romæ &*
ΣΕΒΑΣΤΩ ΚΑΙΣΑΡΙ	*Augusto Cæsari,*
ΣΤΡΑΤΗΓΟΥΝΤΟΣ	*Præfecto*
ΕΠΙ ΤΟΥΣ ΠΟΛΙΤΑΣ ΠΑΜΜΕΝΟΥΣ	*Super administratores . . .*
ΤΟΥ ΖΗΝΩΝΟΣ ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΥ	*Zenone Marathonii* filio
ΙΕΡΕΩΣ	*Sacerdote*
ΘΕΑΣ ΡΩΜΗΣ ΚΑΙ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ	*Deæ Romæ & Aug. servatoris*
ΕΝ ΑΚΡΟΠΟΛΕΙ ΕΠΙ ΙΕΡΕΙΑΣ ΑΘΗΝΑΣ	*in arce. Sub SAC. Minervæ*
ΠΟΛΙΑΔΟΣ ΜΕΓΙΣΤΗΣ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ	*Poliadis magnæ Ascipiadi*
ΑΛΑΙΕΩΣ ΘΥΓΑΤΡΟΣ ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ	*Alaici filiæ sub Archonte .*
ΑΡΗΟΥ ΤΟΥ ΜΩΡΙΩΝΟΣ ΠΑΙΑΝΙΕΩΣ.	*Arejo Morione Paeaniense.*

Eadem Minervæ Sacerdos ἡ τῆς Α'θηνᾶς ἱέρεια legitur apud Pausaniam. Egregia est illa lex inter Atticas scripta, quæ SACERDOTI Minervæ Acropolitanæ, in arce cultæ, in singulos mortuos, duos hordei sextarios, totidem frumenti, itemque obolum pendit: Τῇ τε Ι'ΕΡΕΙΑ τῇ τῆς Α'θηνᾶς τῆς ἐν Α'κροπόλει, ὑπὲρ τοῦ ἀποθανόντος φέρειν χοίνικα κριθῶν καὶ πυρῶν ἑτέραν καὶ ὀβολόν. Quod ipsum legitur apud Aristotelem, l. 2. οἰκονομικῶν. Eamdem Minervæ Sacerdotem celebrat Lucanus.

Lib. 1. Phars. *Vestalemque chorum ducit vittata SACERDOS,*
Trojanam soli cui fas vidisse Minervam.

Et ipse antiquissimus historiarum parens Homerus:

Iliad. lib. 6. *Eis fores aperuit Theano, pulchras genas habens,*
Cissei filia, uxor Antenoris equorum domitoris:
Illam enim Trojani fecerant Minervæ SACERDOTEM.

Quò loci curiosa referri debet ill. ejus commentatoris Spondani animad-

madverſio: *Apud Homerum mulieres nuptas Sacerdotii officio fungi, qualis eſt hæc Theano Antenoris uxor: At poſtea hæc virgines tantùm exercuerunt, quales fuerunt Veſtæ, apud Romanos.*

Interdum etiam Sacerdotes illæ nuncupabantur ΙΕΡΗΤΕΥΟΥΣΑΙ, ut videre eſt in inſcriptione Labadienſi à Jac. Sponio relatâ.

Itiner. tom. 3. pag. 11

ΗΡΑ ΒΑΣΙΛΙΔΙ	*Junoni Reginæ*
ΚΑΙ ΤΗ ΠΟΛΕΙ ΛΕΒΑΔΕΩΝ	*Et Urbi Lebadiorum*
ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ ΧΡΗΣΙΜΟΥ	*Menander Chreſimi* filius
ΙΕΡΗΤΕΥΣΑΣ ΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΔΑ	*Sacerdos per quinque annos*
ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ ΑΝΕΘΗΚΕΝ	*ære proprio poſuit.*
ΙΕΡΗΤΕΥΟΥΣΗΣ ΤΗΣ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΑΥΤΟΥ	*Sacerdotio fungente uxore ejus*
ΠΑΡΗΣΙΑΣ ΤΗΣ ΟΝΑΣΙΜΒΡΩΤΟΥ	*Pareſia Onaſimbroti* filia.

Sacerdotes fœminæ plurimorum Numinum exſtant in antiquis lapidibus, exſtant etiam in nummis: Argentei Antoniæ Druſi uxoris nummi averſam partem ornat eadem, nonnunquam faces duæ, cum inſcriptione SACERDOS DIVI AUGUSTI. Et quas Græci ΑΡΧΙΕΡΕΙΑΣ vel ἱερητευούσαις, Latini Sacerdotem, Antiſtitem & Flaminicam dixere, addito ſæpè Numinis, cui inſerviebant, nomine.

Exempla lapidum non deſunt, quorum varietate & πολυμαθείας tranſcriptionis veniam impetraturum me ſpero.

ExGr. p.318. Roma.

SALONIA CARPIMA
SALONIÆ EUTERPE
SACERDOTI M. D. &c.

LABERIA FELICIA
SACERDOS MAXIMA
MATRIS DEUM M. I.

Reineſ. p.390.

Roma. Grute. p.318.

CLAUDIA ACROPOLIS
AUGUTI LIB.
SACERDOS MATRIS DEUM
FECIT SIBI ET PERENN.
CONJUGI SUO CLADIANO
LIBERTIS LIBERTABUS
POSTERISQUE EORUM
H. M. H. N. SEQ.

COELIÆ CLAUDIANÆ
Virgini Veſtali MAXIMÆ
A DIIS ELECTA MERITO
SIBI TALEM ANTISTITEM
NUMEN VESTÆ RESERVARE
VOLUIT &c.

ExGr p.310

Roma Grute. p.313.

D. M.
AELIA NICE
SACERDOS BONÆ DEÆ, &c.

M. D. S.
PETILIÆ Q. F. SECUNDINÆ
SACERDOS MINERUÆ, &c
OB INFATIGABILEM
PIETATEM, &c.

Juvenatii p.321.

p. 319.

JULIA ALPINULA HIC JACEO
INFELICIS PATRIS INFELIX PROLES
DEÆ AVENT. SACERDOS
EXORARE PATRIS NECEM NON POTUI
MALE MORI IN FATIS ILLI ERAT
VIXIT ANNOS XXIII.

CURTILIÆ C.
F. PRISCILLÆ
SACERDOTI
DIVÆ
AUGUSTÆ
ORDO VIVIRAL.

p. 320.

Grut. 320. Brix.

P. POSTUMIÆ P. F.
PAULLAE
AVIDIÆ PROCULÆ
RUTILIÆ PROBÆ
SACERD. D. JULI. AUGUST.
D. D.

CORNELIA P. F.
ASPRILLIA
SAC. DIVÆ AUG.
ANN. XXXV. H. S. E.

p. 321.

Salodii in Brixiano agro. p. 321.

REAE FIRMIAE
SACERDOTI
CÆSARIS &c.

DENTRIAE L. F. POLLAE
SACERDOTI
DIVAE AUGUSTAE
POST MORTEM
D. D.

p. 321 Aquini.

Brix. p. 321

AEMILIAE C. F. AEQUAE
SACERD.
DIVAE PLOTINÆ &c.

PORCIÆ M. F. MATERNÆ
O. SACER. DESIG. &c.

Barcinone p. 321.

D. M.
CETRANIÆ P. F. SEVERINAE
SACERDOTI
DIVÆ MARCIAN. &c.

Saffina in Flaminia p. p. 322.

p. 322.

CANTIÆ L. F. SATURNINÆ
PATRON. COLON.
FLAMINICÆ
SACERD. DIV. PLOTINÆ, &c.

D. M.
IN MEMOR.
USIÆ L. FIL.
TERTULLIANAE
SACERD. DIVAR. &c.

p. 322.

in Hispan. p. 325. 10.

CORNELIAE CLEMENTIS F. TUSCAE
SACERDOTIS PERPETUAE
ORDO IPORCENSIUM OB MUNIFICENTIAM
STATUAM EI GENIIS PUBLICIS POSUIT
ITEM SEVIRIS CENAS REMISERUNT.

BONO EVENTUI
APONIA C. F. MONTANA SACERDOS
DIVARUM AUGUSTARUM
COL. AUG. FIR.
EDITIS OB HONOREM SACERD.
CIRCENSIBUS
ET OB DEDICATIONEM ALIIS
EX ARG. LIBRIS C. L.
D. S. P. D. D.

Ex Grut. p. 101.

Legitur

Legitur etiam SACERDOS PERPETUA in inſcriptione à Grutero relata, *p.* 174. Cartamæ in Hiſpania. Ejus prolixitas facit ut omittatur: In ea *Junia Ruſtica Sacerdos perpetua ſignum Cupidinis poſuiſſe* legitur *epulo dato* &c.

Quod propius eſt argumento noſtro, Veneris Sacerdotes fuiſſe fœminas in tota fere Græcia, ex hiſtoricis, poetiſque colligere eſt. Muſæus qui Leandri & Herûs amores tam feſtivè ſcripſit, hanc Deæ ſacra facientem commemorat.

Ἡρὼ μὲν χαρίεσσα διοτρεφὲς αἷμα λαχοῦσα

ΚΥΠΡΙΔΟΣ ἦν ΙΕΡΕΙΑ. Ex verſione Andreæ Papii, *Fortè decens Hero, clara de ſtirpe SACERDOS ſervibat VENERI*. Ea ſcilicet quæ ſolemniter Seſti peragebantur Adonique & Cythereæ; Et paulo poſt. Ἀτρεκέως ΙΕΡΕΙΑΝ ἐπάξιον ἄρσεο ΚΥΠΡΙΣ, *Certè quidem VENERI digna eſt oblata SACERDOS*. Ipſa Hero ſe talem nuncupat, quò Leandri amoribus obſiſteret.

ΚΥΠΡΙΔΟΣ οὔ σοι ἔοικε θέμις ΙΕΡΕΙΑΝ ἀφάσσειν

Haud VENERIS tibi caſta Deæ tentanda SACERDOS.

Templi VENERIS, quod erat Corinthi, mentionem facit Strabo, lib. 8. *Ita locuples fuit ut plures quàm mille Sacrorum famulas habuerit, quas Deæ viri mulieresque dedicaverunt*. Τότε τῆς ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ἱερὸν οὕτω πλούσιον ὑπῆρξεν, ὥστε πλείους ἢ χιλίας ἱεροδούλους ἐκέκτητο ἑταίρας, ἃς ἀνετίθεσαν τῇ θεῷ καὶ ἄνδρες καὶ γυναῖκες.

Sacerdotium VENERIS a Græcis ad Latinos translatum fuiſſe conſtat, tum ex horum ambitione religiones populorum eorumque Numina admittentium, tum ex reliquis aliquot lapidibus.

Ex Grut. pag. 318. *Alifani.*

SONTIAE
SACERDOTI VENERIS
EX TESTAMENTO

Ex Rein. p. 47.

FAUSTAE VERISSIMÆ
SACERDOT. VENERIS
FEL. &c.

Aliam Fauſtam exhibent MARMORA OXONIENSIA, ſummam Sacerdotem ΑΡΧΙΕΡΕΙΑΝ celebrantia: Et quoniam illud monumentum juxta Smyrneorum decretum fuit rectum, illuſtremque faciem noſtro præbeat, ideo hîc tranſcribendum curavimus.

ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ	*Bonæ Fortunæ ut decrevit*
ΚΑΘΑ ΕΨΗΦΗΣΑΤΟ Η ΚΡΑΤΙΣΤΗ ΒΟΥΛΗ	*præſtantiſſimum concilium*
ΤΗΣ ΠΡΩΤΗΣ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ	*primæ per Aſiam*
ΚΑΛΛΕΙ ΚΑΙ ΜΕΓΕΘΕΙ ΚΑΙ	*pulchritudine, & magnitudine,*
ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗΣ ΚΑΙ ΜΗΤΡΟ	*& ſplendidiſſimæ, & metropolis*
ΠΟΛΕΩΣ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΚΑΙ	*polis Aſiæ &*
ΤΡΙΣ ΝΕΩΚΟΡΟΥ ΤΩΝ	*ter æditua*

ΣΕΒΑΣΤΩΝ ΚΑΤΑ ΤΑ ΔΟ-	*Augustalium secundum de-*
ΓΜΑΤΑ ΤΗΣ ΙΕΡΩΤΑΤΗΣ	*creta sanctissimi*
ΣΥΝΚΛΗΤΟΥ ΚΑΙ ΚΟΣΜΟΥ	*Senatus, & ornamenti*
ΤΗΣ ΙΩΝΙΑΣ ΣΜΥΡΝΑΙ	*Joniæ Smyrneo-*
ΩΝ ΠΟΛΕΟΣ	*rum civitatis*
ΑΥΡ. ΦΑΥΣΤΑΝ ΑΡΧΙΕΡΕΙΑΝ	*Aureliæ Faustæ summæ* SACERDOTI
ΠΟΜΠΩΝΙΑ ΚΛΑΥΔΙΑ	*Pomponia Claudia*
ΦΑΥΣΤΑ ΛΟΥΠΕΡΚΙΑΝΗ	*Fausta Lupertiana*
Η ΚΡΑΤΙΣΤΗ ΤΗΝ ΧΡΗ	*præstantissima optimæ*
ΣΤΗΝ ΤΗΘΗΝ	*amicæ suæ*
ΕΥΤΥΧΕΙΤΕ	*Valete.*

Hanc inscriptionem basi Statuæ inscriptam fuisse opinatur nob. Seldenus, publicis impensis erectæ, quod quidem exemplo monumenti nostri confirmatur.

Nominatur etiam Nymphidia SACERDOS SUMMA, ΝΥΜΦΙΔΙΑ ΑΡΧΙΕΡΕΙΑ in marmore Oxoniensi, *pag.* 93. donaria ad gymnasii Smyrnensis ornatum recensente. Alias inscriptiones, ne tædiosus sim, prætermitto. Id solum memorabo, ut Ἀρητὴρ apud Græcos *Sacerdotem*, *cultorem*, *& precatorem* significat, sic Ἀρήτειρα SACERDOS *fœmina* seu ἱέρεια apud eosdem legitur.

A proposito nostro alienum non erit, aliquas producere ac breviter interpretari dignitates ab Antiquis usurpari solitas, marmoribus, numismatibus & libris consignatas, aut sacras, aut sacris inservientes.

Ἱεροφάντης, *Jerophantes*, Sacrorum minister.

Δαδοῦχος, *Daduchus*, tædarum, facium & lampadum curator & gestator: quare Cereris Sacerdotes Δαδοῦχοι dicebantur.

Κήρυξ, *Ceryx*, Caduceator, fecialis, preco.

Ἱεροκήρυξ, *Sacer Ceryx* seu fecialis, qui populo festos dies cerimoniasque nuntiabat.

Γραμματεὺς, *Litterarius*, Cancellarius, Notarius, Secretarius, scriba publicus. Apud Judæos, sapientiæ professio penes Scribas erat.

Ἀρχιγραμματεὺς, *Notariorum primus* & quasi princeps. Is decretorum publicorum & tabellarum sæpè custos erat.

Ἀντιγραμματεὺς, Litterarum & tabularum revisor.

Προγραμματεὺς, *ipse scribens.*

Ἱερεὺς, *Sacerdos*, augur, aruspex, sacrificus.

Ἀρχιερεὺς & Ἱεράρχης, *Sacerdotum primus* & princeps.

ΑΡΧΙΕΡΕΙΑ, *Summo fungens Sacerdotio*: Plures illæ erant, quæ scilicet constitutam Sacerdotii periodum absolverant, ut Vestalium mos erat; de quo diximus pag. 392.

Ἱέρεια, *Sacerdos fœmina*, Dearum sacris præposita.

Ἱερατεύουσα, Sacerdos è minoribus, seu Sacerdotibus fœminis ministrans.

Ἀρήτειρα

Ἀρήτειρα, *precatrix*, quæ preces fundebat.
Ἱερατικὸς, Sacris officiis deditus.
Ἱεροφόρος, qui sacra gerebat.
Ἱεροστόλος, Vestitor divinorum simulacrorum.
Περὶ τὸ βῆμα, Qui suggestus seu altaris curam habebant.
Βῆμα locum editum significat, qualis erat Romæ dictus *Rostra*.
Ἱεραύλης, Musicæ præses, & Sacer tibicen, & qui ad sacrificia tibias canebat:
Χορηγὸς, Χόραγος, *Choragus*, qui sumptus ad ludos præbebat.
Φιαληφόρος: *Phialam gestans* puer apud Siculos, apud Locrenses puella, quæ ibat ante sacrificia. *Polyb. l.* 12. *c.*4.
Κερνόφορος, *qui crateres mysticos gerebat*: dictus ideò κρατηφόρος.
Λυχνόφορος, *qui faces gestabat*, quales frequentes Cereris & Proserpinæ mysteriis aderant: Eadem de causa tamen in aliis cerimoniis.
φανόφορος ab Hesychio nuncupatur, ob quam gerebat laternam.
Μελανηφόρος, Sacerdos erat atra veste indutus. Plura si cupis, doctiss. Stephani le Mojne ad ill. Cuperum epistolam *de Melanophoris* consulere ne quamvis pœnitebit.
Παστόφορος, qui tabernaculum, tensam, seu Numinis signum gerebat: Horum ut plerorumque aliorum Sacerdotum erat collegium. Vide ill. Cuperum, *in Harpocrate p.* 131.

ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ, *Veneris*. Cic. l. 3. de nat. Deor. quatuor Veneres esse docet. *Prima* inquit, *Cælo & Die nata, cujus in Ælide delubrum vidimus. Altera spumâ procreata, ex qua Mercurium & Cupidinem secundum natum accepimus. Tertia Jove nata & Dione, quæ nupsit Vulcano, è quibus natus est Anteros. Quarta Syria Syroque concepta, quæ Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse traditum est.*

Quanta fuerit Venerum multitudo, paucis hisce demonstrabitur. Initium ducat Ptolemæi autoritas, Venerem seu ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ Orientalibus quibusque nominibus fuisse nuncupatam: *l.* 2. *in Tetrabibl.* A spuma maris qua natam esse scribit Hesiodus, *in Theogonia*, Venus dicta est: ΑΦΡΟΔΙΤΗ ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ: ita Plato, *in Cratero*. Περὶ δὲ τῆς Ἀφροδίτης οὐκ ἄξιον Ἡσιόδῳ ἀντιλέγειν, ἀλλὰ συγχωρεῖν, ὅτι διὰ τὴν τοῦ ἀφροῦ γένεσιν, Ἀφροδίτη ἐκλήθη. Hanc etiam dicunt à desipiendo, Ἀφροδίτη παρὰ τὸ ἀφραίνειν; ita apud Euripidem, τὰ μωρὰ γὰρ πάντ' ἐστὶ Ἀφροδίτη βροτοῖς. *Mortalium esse ineptias quæcunque Veneris causâ fierent*. Quidni ἀφροσύνης ἀρχὴ θεά: *Insipientiæ princeps Dea?* Quò mortales impulit libido & œstrum Veneris! Hanc porrò in templis Deorum primum honoris jus habuisse, & apud mortales, Deorum honorabiliorum fuisse, expressis verbis docet Homerus, *in hymno Veneris*.

Πᾶσιν δ' ἐν νηοῖσι Θεῶν τίμαρχός ἐστι.
Καὶ παρὰ πᾶσι βροτοῖσι Θεῶν πρέσβειρα τέτυκται.

ACRÆA

ACRÆA, *vide* GNIDIA.

ACTIA, *vide* ÆNEIS.

ÆNEIS, five ÆNEADES Venus feu ÆNEÆ mater, bino templo decorata eſt, altero prope Leucadem, altero ad Actium promontorium, à filio tranſeunte, priuſquam in Italiam appelleret: Unde conjectura eſt, eamdem dictam ACTIAM, cujus mentionem facit Dion. Halicarn. *lib.* 1. De eadem *vide* ΓΕΝΕΤΕΙΡΑ.

ALESIAS Venus dicebatur ab Alente Colophonis fluvio, ad quem colebatur eadem ac ΑΛΕΝΤΙΑ, apud Lycophronem, *in Caſſandra*.

ΑΛΙΓΕΝΗΣ Venus erat *è ſale nata*, cujus ſalicitatis ergo fanum ad portum maris extrui Aruſpices jubebant.

ΑΛΙΤΤΑ, Venus ab Arabibus colebatur: ita Herodotus, *l.* 1. *c.*131. Eadem eſt quàm ΜΥΛΙΤΤΑ Aſſyriorum, & ΜΙΘΡΑ Perſarum.

ALMA, ſeu pulchra & ſancta, apud Feſtum: Ædiculam habuit in regione XII. *vide* ΓΕΝΕΤΕΙΡΑ.

AMATHUNTEA, ab antiquiſſima Cypri urbe eadem ac CYPRIA eſt, Θυσία ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ἐν ΑΜΑΘΟΥΝΤΙ; *Sacra Veneris in Amathunte*, memorat Heſychius.

AMBOLOGERA ἀπὸ τῆς ἀμβολῆς, aliquando Venus eſt nuncupata, quæ ſua ſuavitate miſerias humanas ſublevaret, & ſenectutem tardare videretur: Α᾽μβολὴ & ἀμβολίη enim *dilatio* eſt; Apud veteres, *dilator operum & cunctator*, dicitur ἀμβολιεργός. AMBOLOGERÆ VENERIS, ΑΜΒΟΛΟΓΗΡΑΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ſimulacrum ex oraculo dicatum deſcribit Pauſanias, *in Lacon*. Atque etiam Plutarchus, *l.* 3. *Sympoſ.* refert tales ad eam preces ferri ſolere: *Produc moram ſenectuti, pulchra Venus*.

ΑΝΑΔΥΟΜΕΝΗ: *E mari emergens*, ambabus manibus è capillis aquam marinam exprimens: Qualem Apelles Cous pinxit, opus admirabile. Vide Strabonem, *l.* 14. & Plinium, *lib.* 35. *c.* 10. & Pauſaniam, *in Corinth.* De hac exſtat lepidiſſimum Sidonii Antipatri epigramma. Τὰν ΑΝΑΔΥΟΜΕΝΑΝ ἀπὸ, καὶ τ. λ.

ΑΝΟΣΙΑ Venus, impia, profana, nefaria: ſcripſiſſe erubeſco, commentari puderet.

APOSTROPHIÆ VENERI unà cum COELESTI, & POPULARI impoſita ſunt cognomina ab Harmonia; ſignis antiquis ligneis: Illa quaſi *Averſatrix*, quòd ab exlege cupiditate & inceſtis, ſtupris, hominum genus averteret, qualia apud Græcos ſæpè turpiter commiſſa ſunt, De Adonidis matre, de Phædra Minois filia, de Tereo Thraciæ Rege, &c. ex Pauſania, *in Bœoticis*.

AREJÆ *Veneris*, ΑΡΕΙΑΣ Α᾽φροδίτης *ades erat in poſtico Chalciœci*, inquit Pauſanias, *in Lacon. cujus ſigna ſunt è ligno tàm vetuſta, quàm alia quævis in Græcia*. Eadem eſt ac MARTIA, Mars quippe Α᾽ρης, & Α᾽ρὰς.

AR-

ARDENS, *vide* ΘΙΜΒΡΗ.

ARENTA, dicta est Venus, à jungendis & copulandis Amantibus: Ἄρεν & Ἄρεντα, apud Lycophronem, *in Cass.*

ARMATA, ἐνόπλιος Ἀφροδίτη dextrâ pomum, & sagittam tenebat, arcum lævâ. Colebatur in Cythera insula: *Prope Cytherorum mœnia erat URANIÆ VENERIS fanum, eorum omnium, quæ apud Græcos Veneri dicatâ sunt, maximè priscum, & sacrosanctum. Deæ signum cum armis est.* Hæc Pausanias, *in Lacon.* Vide CYTHEREA. Colebatur eadem maximè Spartæ, Virtutis muliebris ἱερογλυφικὸν: Nam cùm Lacedæmonii præliantes Messeniorum impetum sustinere non possent, pedesque retro ferrent, uxores armis arreptis impetum in Messenios fecere, aciem restituere, & hostes fugavere: Eas amplexi Lacedæmonii, provt erant armati, cum armatis promiscuè, ut Lactantius ait, concubuere, atque ita mox ARMATAM VENEREM colere cœperunt, ejusque simulacrum lancea decoraverunt. Tradit Dio, lib. 43. *hanc a Julio Cæsare cultam, a qua se etiam formæ quamdam venustatem habere persuadere omnibus nitebatur. Ideo sculptam VENERIS ARMATAE imaginem gestabat, ejusque tesserâ in rebus summis plerumque utebatur.* Hanc cum GENETRICE confusam fuisse nullum est dubium.

ARSINOE, Venus in Ægypto, non procul ab ostio Canopico, Pharoque, *Sacellum habuit*, inquit Strabo, *lib.* 17. *ναΐσκον ἔχοντα* ΑΡΣΗΝΟΗΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ. Duplex refert epigramma Athenæus, *δειπν.* l.7. in quo VENERIS ARSINOES, ejusque templi mentio fit. Egregia sunt de eo Plinii verba, l. 34. c. 14. *Eodem lapide*, magnetem intelligit, *Dinocrates architectus Alexandriæ ARSINOES templum concamerare inchoaverat, ut in eo simulacrum ejus è foro pendere in aere videretur. Intercessit mors & ipsius, & Ptolemæi, qui id sorori suæ jusserat fieri.*

ARTIMBASA, *vide* ΟΥΡΑΝΙΑ.

ASCRAEA. *vide* ΤΡΟΙΖΗΝΙΑ.

ASTARTE, Syria venus Adonidi nupsisse a Cicerone memoratur.

AUGUSTA, in nummis & lapidibus. *vide* ΟΥΡΑΝΙΑ.

AUREA, χρυσῆ, Sincera, casta, puram generandi cupiditatem cœlitùs inspirabat; non lascivias petulantiores, adulteria turpia, & impudicam humani generis contumeliam, voluptatis vocabulo, designatam. AUREÆ huic Veneri Taurus cœlestis dicatus erat; & templum in Ægypto, prope Memphim. A Diodoro, *l.* 5. ob venustam formam, AUREA cognominata est.

Τίς δὲ βίος, τί δὲ τερπνὸν ἄτερ ΧΡΥΣΗΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ.

Qualis nam vita foret, aut quid jucundi, sine AUREA Venere? Ovid. in Epist. Paridis *gaudet VENUS AUREA furtis.*

BARBATA Venus, a lumbis ad superiora mas, ad inferiora fœmina censebatur: Hinc Æneas apud Virgilium, *Discedo ac ducente Deo*. Veste quidem ac corpore muliebri, natura porrò virili &

BARBATA colebatur, cujus simulacrum describit Servius *ad Æneid. l. 2. & Macrobius, l. 3. Saturn.*

ΒΕΛΕΣΤΙΑ apud Alexandrinos colebatur: De ea ita Plutarch. in Amatorio: *BELESTIA verò Dii boni? nonne barbara & empta mulier fuit? cujus templa & fana Alexandrini habent VENERIS BELESTIAE nomine, ob amorem, Rege id permittente.*

CALLIPYGE, *vide* ΚΑΛΛΗΠΥΓΟΣ.

CALVA cur dicta sit Venus, explicat Lactantius, *l. 1. c. 13.* Urbe a Gallis occupata, obsessi in Capitolio Romani, eum ex mulierum capillis tormenta fecissent, ædem VENERI CALVÆ consecrârunt. De eadem vide Vegetium, *l. 4.* Cyprianus illam commemorat, de vanit. idolorum: *Est & Venus Calva*: & S. Augustinus, epist. 44. *Habes apud nos magnam materiam facetiarum, deum Stercutium, deam Cloacinam, VENEREM CALVAM.* Narrat Jo. Candidus, in comment. Aquileiæ CALVAM Venerem Romæ cultam fuisse temporibus Maximini, in honorem Matronarum Aquiliensium, quæ deficientibus funibus ad intendendos arcus, magnanimè præsentes crines substituerunt. Duo ejus fuerunt in Urbe templa, vetus & novum, in regione VIII. seu Foro Romano.

CAPITOLINÆ Veneris meminit Suetonius, *in Caligula & Galba.*

CASTNIA, *vide* ΚΑΣΤΝΙΑ.

CHOERAS, Veneris ἐπίθετον, matris Æneæ: Ei porcos mactabant Argivi, quos χοίρους nuncupant. Docet Aristophanis interpres, χοιρίον seu χοῖρον *pro ea fœminarum parte intelligi, quâ fœminæ sunt,* γυναικεῖον αἰδοῖον λέγουσιν, quam in puellis, teste Varrone de re rustica, *l. 2. c. 4.* porcum appellabant. χοιράδος Veneris meminit Lycophron in *Cassandra.*

CLOACINA templum habuit in quarta Urbis regione.

CLUACINAM Venerem scribit Plinius, lib. 15. cap. 29. *Romanos Sabinosque cùm propter raptas virgines dimicare voluissent, depositis armis purgatos in eo loco, qui nunc signa VENERIS CLUACINÆ habet. Cluere enim antiqui purgare dicebant.* Ei templum vovit T. Tatius Rex, in ea Fori parte, quâ Romani & Sabini armis depositis pacem injerunt.

COA, *vide* ΑΝΑΔΥΟΜΕΝΗ. Est apud Ciceronem; *Qui COAE Veneris pulchritudinem imitari non potuerunt.*

COELESTIS, *vide* ΟΥΡΑΝΙΑ.

COLIAS Venus *ad Anaphlystum ædes habuit, in quem locum ejectas fluctibus, ajunt, ultimas naufragii tabulas, quod Persæ navali ad Salaminam pugna fecerunt.* Ita Strabo l. 9. Eadem fere apud Pausaniam, *in Atticis.* COLIAS promontorium, ad quod Persarum classe deleta, navium fragmenta æstu delata sunt. Illic VENERIS COLIADIS signum est, ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΚΩΛΙΑΔΟΣ.

COLOTIS dicta est Venus, a juvene quodam, qui manibus & pedibus (ea Græcis κῶλα) olim suspensus, postquam a puella quadam

dam solutus fuit, VENERI COLOTIDI templum Athenis dedicavit. Alii à fœnoribus nomen deducunt. Celebratur apud Lycophronem, *in Caſſ.*

CONJUGALIS, *vide* MIGONITIS.

CORINTHIAM Venerem memorat Athenæus, l. 13. c. 4. *Erat enim vetuſta lex Corinthi, cùm VENERI civitas magnis de rebus ſupplicaret, ut accirentur in ſupplicationum pompam meretrices multæ, quæ Deam precarentur, & poſt aliorum diſceſſum, in templis permanerent*; Et paulo poſt. *Cùm Perſarum Rex Græciam armis tentavit, Corinthiæ meretrices in VENEris templum convenerunt, & pro ſalute Græciæ Deam orârunt. Quapropter Simonides, cùm Deæ tabulam Corinthii dicaſſent, in qua privatim erant meretrices depictæ, quæ ſupplicationibus Deam propitiaverant, & in ejus fano peractis ſupplicationibus ſubſtiterant, adſcripſit hoc epigramma: Hæ pro Græcis, & bellicoſis civibus conſtiterunt, Divæ opem VENERIS imploraturæ; Itaque VENERI non eſt viſum Sagittariis Perſis arcem Græciæ prodere.*

Αἱ δ᾽ ὑπὲρ Ἑλλήνων τε δὲ ἀγχεμάχων πολιητᾶν
Ἔσταθεν εὐχόμεναι ΚΥΠΡΙΔΙ δαιμονίᾳ.
Οὐ γὰρ τοξοφόροισιν ἐμήσατο δῖ᾽ ΑΦΡΟΔΙΤΑ
Πέρσαις Ἑλλάνων ἀκρόπολιν προδόμεν.

Præterea adulatio ſeu ſuperſtitio græca, Laidem, ut VENEREM CORINTHIAM adoravit, quamvis hæc Sicula fuerit, ſed ut Solinus ait, *eligere ipſa maluit quàm fateri patriam*: Ejus nummum CORinthi cuſum vidimus.

COTYLEA *Venus ædes habuit ſine tecto; in qua ſignum Deæ*, inquit Pauſanias, *in Æliacis*: Nomen à monte Cotylo.

CYPRIA, in nummis ant. Ejus cultus autor fertur Cyniras; ita Pindari Scoliaſtes, Pythion. od. 11. Ὁ δὲ Κίνυρας ἐστὶν, ἀφ᾽ οὗ οἱ ἐν Κύπρῳ Κινυράδαι τῇ Θεᾷ ἀφιέρωντο. Hoc eſt, *Cinyras ille eſt, à quo Cinyradæ in Cypro Deæ ſacra facerent*. Ita Arnob. li. v. ex Clemente, in Protreptico: *Nec non & CYPRIÆ Veneris abſtruſa illa initia prætereamus, quorum conditor indicatur Cinyras fuiſſe. In quibus ſumentes ea, certas ſtipes inferunt, ut meretrici: & referunt phallos, propitii Numinis ſigna donatos.* Et hæc ſunt, quæ ſe neſcire fatetur Pauſanias, *in Bœot. vide* infra in voce ἘΡΩΤΙ. De Cinara vide Tacitum, lib. 11. hiſt. Ad quod pertinet Heſychii gloſſa: Κινυράδαι, ἱερεῖς ἈΦΡΟΔΙΤΗΣ, *Cinyradæ Sacerdotes Veneris*. Cyprigena etiam dicta eſt, quòd *nata ſit undoſa in Cypro*: Κυπρογενέα δ᾽ ὅτι γένετο περικλύστῳ ἐνὶ Κύπρῳ, inquit Heſiodus *in Theog.* Venus a Græcis κρατοῦσα Κύπρου nuncupabatur, unde ab Horatio od. 3. *potens Cypri*, & a Bione Κυπρογενής, Euſtathius, ad Iliad. 3. Venerem Κύπριν cenſet eſſe ab Homero nuncupatam, quaſi κυέπορειν ſeu κυόφορειν, propterea quòd *ſine Venere, ideſt, ſine concubitu, & complexu venereo, mulieres gravidæ non fiant.*

CYTHEREA, quod primum è mari *ex ſpuma nata* ad montem

 Cytherum

Cytherum appulerit: *Hesiod. in Theogonia*. Sive Κυτῆρα, Cypri oppido *Nuda Cytheriacis edita fertur aquis*, inquit Ovidius. Insula verò Cythera, inter Peloponnesum, Cretamque sita est, vulgò *Cerigo*, Serenifs. Reipublicæ paret. Alii nomen deducunt ab occultandis amoribus, etiam Amatoribus: ἀπὸ τοῦ τοὺς Ἔρωτας κεύθειν καὶ κρύπτειν: *vide* ARMATA.

DIONEA Venus dicta est à Dione matre. Homerus, *Iliad*.3. ΚΥΠΡΙ ΔΙΩΝΑΙΑ, apud Theocritum, εἰδ. ιέ. Dionyf. Afrum in περιηγ. Virgilius *in Meride*, Augustum Cæsarem tanquam ab Julo & Venere prognatum, Dionæum nuncupat: *Ecce Dionæi procedit Cæsaris astrum*. Dionæum antrum pro venereo commemorat Horatius, *od*. 1. *l*. 2.

DORIS, *vide* GNIDIA.

ΕΝΟΠΛΙΟΣ, *vide* ARMATA.

EPHESINAE Veneri, quæ eadem erat ac *Meretricia*, & ἑταίρα, templum extructum est. Athen. *l*.3. *c*.4. *vide* ΠΟΡΝΗ.

ΕΠΙΣΤΡΟΦΙΑ, *EPISTROPHIA*, siue *procuratrix Sacellum habuit*, inquit Pausanias in Atticis, *prope Bacchi Nyctetii ædem*, *&c*.

ΕΠΙΤΥΜΒΙΑ memoratur à Plutarcho, *quâ homines fragilitatis humanæ admoneri putant, quòd una & eadem Dea principium & finem vitæ in potestate habeat: quippe quæ ingredientibus vitam, atque decedentibus præsideat. Nam Delphis quoque VENERIS EPITUMBIÆ est imaguncula, ad quam evocant eorum manes quibus libant*.

EQVESTRIS seu ἐφίππιος, in nummis, *vide* Strabonem l.7.

ERYCINA, in nummis & lapidibus ab Eryce Siciliæ vrbe, in qua Æneas matri templum construxerat. Apud Psophidios, alterum commemorat Pausanias, in Arcad. *a Psophi Erycis filia dedicatum, cujus sua ætate, solæ extabant ruinæ*. Romæ postea ædem vovit *Q. Fabius Max. cùm ex Sibyllinis libris edictum esset, ut is voveret, cujus maximum imperium in Urbe esset*: Ex Livio, l. 22. *Eam, idem creatus* II. *vir in Capitolio dedicavit*: Id. l. 23. *Fuit & alibi ædes* VENERIS ERYCINÆ *juxta portam Collinam, vota a L. Portio Licinio Cos. bello Ligustino, ab eodem* II. *viro dedicata eo anno, quo Aquileja Colonia Latina in agro Gallorum deducta est*, Liv. *l*. 4. Strabo, *l*. 6. Audiamus Ovidium.

Est prope Collinam templum venerabile portam,
Imposuit templo nomina celsus Eryx.
Est illic Lethæus amor, qui pectora sanat, &c.

ΕΤΑΙΡΑ, *vide* ΠΟΡΝΗ.

ΕΥΠΛΟΙΑ, *vide* GNIDIA.

ΕΦΙΠΠΙΟΣ, *vide* EQVESTRIS.

FELIX in nummis & lapidibus, VENERI FELICI SACRVM &c. An a liberorum multitudine, an ab eorumdem præstantia?

FRVGIFERA a Sophocle, & Plutarcho, *in Amat*.

GABINIA in lapidibus.

ΓΕΝΕΤΕΙΡΑ, GENETRIX, in nummis & lapidibus; Hanc Μύλιτα ab Assyriis, Ἀλίτταν ab Arabibus, & Μίτραν a Persis nuncupatam

patam dixit Herodotus, *in Clio*; quam etiam URANIÆ nomine adorant. Πέρσαι ἐπιμεμαθήκασι δὲ καὶ τῇ ΟΥΡΑΝΙΗ θύειν παρά τε Ἀσσυρίων μαθόντες καὶ Ἀραβίων. VENUS GENITRIX *Julii Cæsaris tessera fuit, qui ab ea genus per Æneam ducere se asseverabat, quare ei templum ante pugnam Pharsalicam vovit*, inquit Appianus, Alex. l. 2. bell. civil. *& potitus victoria in suo Foro posuit*: Eidem *Spolia, de hostibus dedicavit, & thoracem de margaritis Britannicis*. In eodem collocavit Augustus statuam æneam Divi Julii, cum Stella crinita supra caput ipsius fulgente. Dio, *l.* 13. Appian. *l.* 2. *de bell. civil.* Egregia est ejus descriptio apud Lucretium, *l.* 1.

Æneidum GENETRIX, hominum, Divumque voluptas,
Alma VENUS &c.

GNIDIA à Gnido urbe Doridis in Caria: in nummis & lapidibus: Apud Reinesium, BONÆ DEÆ VENERI GNIDIÆ &c. De Venere Gnidia à Praxitele sculpta, vide Athenæum, *l.* 13. tota nuda ad imaginem Cratinæ meretricis, alii scribunt Phrynes, tantæ pulchritudinis, ut à nobili adolescente perditè amata, ac polluta fuerit: vide Lucianum, *de Amoribus*. De quo Val. Maximus: *Vulcani conjugem, Praxiteles in marmore quasi spirantem in templo Gnidiorum collocavit, propter pulchritudinem operis à libidinoso cujusdam complexu parum tutam*. Hunc Veteres *Macareum Perinthium* nuncupârunt. Lepidum est hac de Praxitelis statua vetus epigramma.

Γύμνην οἶδε Πάρις με καὶ Ἀγχίσης καὶ Ἄδωνις
Τοὺς τρεῖς οἶδα μόνους. Πραξιτέλης δὲ πόθεν; Hoc est,
Nudam me Paris Anchises & pulcher Adonis
Aspexere: at quando aut ubi Praxiteles?

Hæc etiam Doris, & Acræa, & Euplœa nuncupabatur, atque istis nominibus culta, templa habuit in Gnido & alibi: De quibus Pausanias, *in Atticis*. Apud Horatium: *O Venus, Regina Cnidi Paphique*. Et varia Anthologiæ ἐπιγράμματα.

GRÆCA Dea, seu Venus colebatur Memphi, in qua templum habuisse docet Strabo, *l.* 17. Ἔστι δ᾽ ἐν Μέμφη, καὶ ἈΦΡΟΔΙΤΗΣ ἱερὸν, θεᾶς ΕΛΛΗΝΙΔΟΣ νομιζομένης, *vide* ΜΩΜΕΜΦΙΤΙΚΗ.

HOMICIDA, ἐπίθετον duxit ab obruta lapidibus Laide, in ipso Veneris templo; quam Thessalæ mulieres invidia pulchritudinis, & æmulatione impulsæ, ita necaverunt: Inde ἈΦΡΟΔΙΤΗΣ ΑΝΔΡΟΦΟΝΟΥ, VENERIS HOMICIDÆ templum nuncupatum est.

HORTENSIS, ἡ ἐν κήποις Ἀφροδίτη, apud Pausaniam, *in Attic.* a loco *Horti* dicto, tum quòd Venus hortis ob generationem, unà cum Priapo præsit. Unde Nævius apud Festum, Venerem pro oleribus posuit, ut Cererem pro pane, Neptunum pro piscibus; dicente coquo, Edi *Neptunum, Cererem, Venerem*.

HOSPITA, *vide* PEREGRINA.

ΖΕΙΔΩΡΟΣ, seu *vitæ largitrix* dicitur ab Empedocle, atque etiam à Plutarcho, *in Amat.* FRUGIFERA ideò à Sophocle.

ΖΕΡΙΝΘΙΑ à Zerintho Thraciæ urbe, & antro. A Stephano commemoratur: Phœnodamentis filiæ templum VENERI ZERINTHIÆ erexerunt, ait Lycophron, *in Cassandra*.

Αἱ δ' αὖ παλαιοῦ μητρὸς ΖΥΡΙΝΘΙΑΣ
Σηκὸν μέγαν δείμαντο δωτίνην Θεᾷ.

ΖΕΦΥΡΙΣ, *Zephyris*, sub cujus nomine colebatur Arsinoe, vide Casaubonum, *in Athen. l. 7. c. 19.* unde *Zephyritis*, *Arsinoe*, *Chloris*, *Hippia*, *sunt synonyma*, inquit doctiss. ejus commentator Casaubonus.

ΙΔΑΛΙΑ ab Idalo Cypri oppido, de quo Plinius, *l. 5. c. 35.* & Stephanus, *de urb.* Ἰδάλιον πόλις Κύπρου· τὸ ἐθνικὸν, Ἰδαλεύς. Ita Virg.

Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atque Cythera.
Idaliæque domus. Hujus Veneris caput nummo insculptum est apud Goltzium, cum ἐπιγραφῇ ΙΔΑΛΕΩΝ.

INVICTA eadem, quam ΟΥΡΑΝΙΑΝ arguit lapis Romanus, apud Gruterum, *p. 59.*

JOVIA in lapide antiquo, apud Gruterum, *p. 59.*

ΙΠΠΟΛΥΤΙΑ. Euripidis Scoliastes: Ἀφροδίτης ναὸν ἱδρύσατο τὴν Φαίδραν φασί· ἐκάλεσε δὲ Ἀφροδίτην ἐφ' Ἱππολύτῳ· ἣν καὶ ΙΠΠΟΛΥΤΙΑΝ καλοῦσι. Hoc est, *Veneris templum extruxisse Phædra fertur: Vocavit autem Venerem Hippolyti causa dedicatam, eamque etiam Hippolytiam dicunt.*

JUNO. Apud Lacedæmonios, VENERI JUNONI matres sacra faciebant. Ξόανον δὲ ἀρχαῖον καλοῦσιν ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΗΡΑΣ, ἐπὶ δὲ θυγατρὶ γαμουμένῃ νενομίκασι τὰς μητέρας τῇ Θεῷ θύειν. *Signum ligneum vocant VENERIS JUNONIS, cui pro filiarum nuptiis sacra facere matronas, solemne est*: ita Pausanias, *in Lacon.* Τπερχειεία nominabant. ΠΡΟΤΕΛΕΙΑ erant, *sacra scilicet ante nuptias:* Nominis rationem dat Hesychius, Προτέλεια· ἡ πρὸ τοῦ γάμου θυσία, καὶ ἑορτή. τέλος γὰρ ὁ γάμος. De hoc festo, vide Meursium, *in Græcia feriata*. Eò fortassis refertur numisma perrarum, quod vidisse recordor: In eo Liviæ matris erat effigies cum inscriptione ΔΙΟΥΙΑΝ ΗΡΑΝ, & in averso, Liviæ filiæ, ΔΙΟΥΙΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ. Quærit Plutarchus, cur mense Majo mulieres non ducuntur? An quia in medio loco inter Aprilem est & Junium, quorum ille VENERI, hic JUNONI Sacer est, Numinibus matrimoniorum tutelaribus, vel antevertunt Majum, vel Junium præstolantur.

ΚΑΛΛΙΠΥΓΟΣ, *Callipyge*; *pulchras clunes habens*, templum habuit Syracusis, cujus originem describit Athenæus, *in fine lib. 12.* Οὕτω δὲ ἐξήρτηντο τῆς ἡδυπαθείας οἱ τότε ὡς, καὶ ΚΑΛΛΙΠΥΓΟΥ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ καὶ τ. λ. Hoc est, *Sic autem voluptati incubuere ejus ætatis homines, ut CALLIPYGÆ VENERI templum ædificarint hac de causa. Rustici viri formosæ duæ filiæ in publicam viam egressæ, ambitiosius inter se decertabant, utri pulchriores nates essent. Prætereunti juveni, inspiciendas se ambæ obtulerunt. Utramque*

que ille conspicatus, natu majoris pulchriores esse judicavit, & ejus amore captus est. Reversus in urbem, cùm æger decubuisset, juniori fratri exposuit, quod acciderat. Rus ille profectus, & puellas contuitus, alteram amavit. Juvenum pater cùm instaret, ut splendidius matrimonium sibi quærerent, idque persuadere non posset, puellarum non invito parente, illas evocat ex agro, & cum filiis collocat: Eas cives Καλλιπύγος *nominârunt. Illa igitur amplas facultates nactæ, VENERI, quam & à pulchris natibus CALLIPYGON nominarunt, ædem construxerunt.*

ΚΑΤΑΣΚΟΠΙΑΣ VENERIS, seu *speculatricis delubrum est apud Trozenios, unde descendentem exercitationis causâ Hippolytum in stadium, intuebatur Phedra*: Hæc Pausanias, *in Corinth.*

ΚΑΣΤΝΙΑ, sive ΚΑΣΤΝΗΤΗΣ VENUS dicta est, à Callimacho, & Lycophrone, *in Cassandra*. Originem nominis dedit Castnius mons Pamphiliæ, ad Aspendum.

LIBENTINÆ à libendo dictæ meminerunt Varro, Cicero, & Non. Marcellus, cui puellæ, quæ excesserant annos pueritiæ, pupas ætatis suæ insignia dicare solebant, ut apud Persium legitur.

LIBITINA Venus ærarium habuit à Servio Tullio institutum, in quod pro defunctis nummi inferrentur. Ne putemus pro animarum redemptione, aut fundendis precibus, sed pro emundis quibuscunque ad funera pertinentibus. Ita tenebantur quibus nata erat proles, nummum aliquem in ærarium Junonis Lucinæ inferre. Legimus apud Plutarchum *eamdem fuisse nuncupatam Venerem ac Libitinam*, νομίζοντες ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ εἶναι καὶ τὴν ΛΙΒΙΤΙΝΗΝ. Indicando fortè ex Dion. l. 4. *caducum esse, quod esset natum, unam eamdemque Deam ortibus, & interitibus præsidere*: Hæc enim etiam pro morte; *magnaque pars mei vitabit Libitinam*, inquit Horatius.

LIMENIA, *vide* PELAGIA.

LONGURIA à Longuro Siciliæ lacu. *Regina specuum Longuri*, apud Lycophronem: Κρείουσα ΛΟΓΓΟΥΡΟΥ μυχῶν; *vide* ΜΥΧΑΙΑ.

LUCIFER, *vide* ΦΩΣΦΟΡΟΣ.

MACHINATRIX, ΜΗΧΑΝΙΤΙΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗ *ædem & signum ligneum habuit, Damophontis opus, cujus manus, os, & imi pedes è lapide erant. Cognomen Deæ meritò inditum est, quòd Veneris causa homines quodvis artium, & fraudum genus, tàm in factis, quàm in dictis excogitarunt.* Hæc Pausanias, *in Arcadicis.*

MARINA, *vide* PELAGIA.

MARTIA, *vide* AREJA.

ΜΕΛΑΙΝΙΣ, *Nigra, In Thespiorum urbe MELÆNIDIS VENERIS ædes, forum præterea, & theatrum; & forum Dea dignum*, inquit Pausanias, *in Bœoticis*. Ἔστι δὲ καὶ ἑτέρωθι ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΜΕΛΑΙΝΙΔΟΣ ἱερὸν, καὶ θέατρόν τε καὶ ἀγορὰ, θέας ἄξια. *Et in Corinthiacis, VENERIS MELANIDIS delubrum* recenset, ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΜΕΛΑΝΙΔΟΣ ναὸν, *prope Laidis sepulcrum*: Hæc, Venus, Luna, & Isis nominabatur. Noctis

Nu-

Numen verecundiam, quâ præditum esse debet humanum genus, indicabat, nec ut brutum in propatulo, sed nocte liberis dandam esse operam. VENUS hæc ad abditam referri potest. *Vide* ΜΥΧΑΙΑ.

ΜΕΛΙΝΑΙΑ apud Lycophronem, *in Cassandra*, à Melina urbe Argivæ, & Stephanum; Μέλινα πόλις Ἀργεῖς, ἀφ' ἧς ΑΦΡΟΔΙΤΗ ΜΕΛΙΝΑΙΑ τιμᾶται. *Melina urbs Argolidis, à qua VENUS MELINÆA colitur*. Notat Pinedo Stephani interpres, Lycophronis scholiastem, nomen deduxisse διὰ τὸ ἡδὺ τῆς συνουσίας, *à coitus suavitate*.

MEMPHITICA, *vide* ΜΩΜΕΜΦΙΤΙΚΗ.

MERETRICIA, *vide* ΠΟΡΝΗ.

MIGONITIS, seu CONJUGALIS colebatur Migonii: hoc territorium erat in insulæ Cranaes, vulgò *Spatara* adverso littore, in quo Paris primùm cum rapta à se Helena concubuerat; inde nomen. In cujus rei memoriam ΑΦΡΟΔΙΤΗ ΜΙΓΟΝΙΤΗ erectum est templum: Ad quod cùm post XVIII. annos appulisset Menelaus, Veneri duas adjunxit statuas, Thetidis, & Praxidices sive *vindicatricis*, illi ut ferret opem ad vindictam, huic ut absolveret: Ratum quidem votum fuit, sed priùs obiit Menelaus, quàm Helena arbori suspensa Rhodi jussu Reginæ Polixus suffocaretur.

ΜΙΘΡΑ interdum Dei, interdum etiam Veneris nomen est. Ambrosius, l. 2. contra Symm. *Unde Phrygii vates, & semper invisa Romanis non aequa Carthaginis numina? Quum COELESTEM Afri, MITHRAM Persæ, plurique VENEREM colunt, pro diversitate nominis, non pro Numini varietate*.

ΜΟΡΦΩ, *MORPHO* in lapid. ant. quæ formæ præest, & pulchritudini: Etiamnum Græci recentes, *Callimorphi* egregiam, & formosam puellam nuncupant. *Cellam habuit apud Lacones*, autore Pausania *in Lacon*. Sedentis ejus signum è Cedro factum à Tyndaro in memoriam fortè Helenæ filiæ suæ: Galericulum, seu flammeum habebat in capite, & circum pedes vincula, ad designandam debitam uxorum erga maritos fidem & constantiam. Memorat idem Pausanias, *ibidem*, ΜΟΡΦΩ τὴν Ζευξιδίαν, quæ eadem est.

ΜΥΛΙΤΤΑ Venus apud Assyrios colebatur, ΑΛΙΤΤΑ apud Arabes, ΜΙΘΡΑ apud Persas. *Herodotus*.

MURTIA à Myrto Veneri sacra. Varro, *l.* 4. *de ling. Latin.* & Plin., *l.* 12. *c.* 1. tum *l.* 15. *c.* 29. Ara vetus fuit *VENERI MYRTEÆ, quam nunc MURTIAM vocant*. Fanum ipsi sacraverunt Romani, in regione urbis XI. MURCEAM præterea Venerem cultam legimus, marcidos efficientem viros; cui opponebatur STRENUA. Milites aliquando Myrto coronatos legimus; an libidini indicandæ, an Marti Veneris amasio? De Myrto Veneri sacra, adi Athenæum, *Deipn. l.* 15. *c.* 6. ex quo MURTIAM & PAPHIAM & CYPRIAM eamdem esse constat.

MY-

ΜΥΧΑΙΑΣ Veneris ſacra in ſpecubus, & abditiſſimis penetralibus celebrabantur: Μυχὸς *ſeceſſus* eſt, latebra & abditus locus. Lyſiteles Plautinus adoleſcens Trinummus amorem laſcivum inde *latebricolarum hominum corruptorem* vocat: Amatores quippè juxta Maronem, *Secreti celant calles, & myrtea ſecum, Sylva tegit*: hoc eſt, Venereos congreſſus, ſolitudini, ac nocti creditos: *Celari vult ſua furta Venus*.

ΜΩΜΕΜΦΙΤΙΚΗ, *Momemphitæ Venerem colunt, & ſacram vaccam alunt, quemadmodum Apim in Memphi*: ita Strabo, *l.* 17. Et paulò pòſt, *Memphi eſt Veneris fanum, quæ Græca Dea cenſetur*: Θεᾶς Ἑλληνίδος νομιζομένης. Et poſtea, *In ejuſdem honorem non procul eſt Aphroditopolitana præfectura. Civitas ejuſdem nominis eſt in Arabia, in qua bos alba ſacra alitur*.

NIGRA, *vide* ΜΕΛΑΙΝΙΣ.

ΝΥΜΦΑ, *vide* SPONSA.

ΞΕΙΝΗ, *vide* PEREGRINA.

OLYMPIA eadem, ac Urania apud Pauſaniam, *l.* 3. & Proclum, *in Lyciam Venerem hymno ultimo*.

Σύμβολ' ἔχον νοεροῖο γάμου νοερῶν ὑμεναίων
Ἡφαίστε πυρόεντος, ἰδ' ὀυρανίης Ἀφροδίτης,
Καὶ ἣν δὴ ὀνόμηναν ΟΛΥΜΠΙΑΝ.

Symbola genus nuptiarum, & hymenæorum intelligibilium ignei Vulcani, & Cœleſtis Veneris, quam vocaverunt OLYMPIAM.

ΟΥΡΑΝΙΑ, *Cœleſtis*. In nummis, marmoribus, & paſſim apud Autores, ἀπὸ τῆ ὀυρανῆ *à cœlo* nomen deducit, quòd de cœlo ſemen igneum in mare cecidiſſe dicitur, ac natam è ſpumis Venerem, conjunctione ignis & humoris: Alii ex puri & ſinceri amoris quaſi cœleſtis, & à corporis illecebris alieni ſignificatione dictam volunt. Unde Pauſanias, *in Bœoticis*, per Venerem COELESTEM intelligit puram, & corporum cupiditate vacantem amorem. Venerem URANIAM a Scythis *Artimpaſam* dictam, ſcribit Herodotus, *l.* 4. *c.* 59. De ea ſic Orphæus, *in hymn. ad Venerem*: ΟΥΡΑΝΙΑ, πολυύμνε, φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη, κ. τ. λ. *COELESTIS, celeberrima, riſum amans VENUS &c.* Vaccam autem Ægyptii VENERI dedicârunt, quam COELESTEM vocant, ex Pierio, *l.* 3. Memoratur à Poetis antiquis, & opinarer eam eſſe, quam nulla ſequitur pœnitentia, nullum πάθημα, adeò blanda eſt & innocens, ut URANIA ipſa ſit. Fortè dicta eadem.

ΠΑΝΑΓΑΘΟΣ, *optima*, In lapide Rom. ex Grutero, *pag.* 59. *lib.* 1. Ejus extat hoc epigramma.

ΑΦΡΟΔΙΤΗΙ ΘΕΑΙ ΠΑΝΑΓΑΘΩΙ ΚΑΙ ΣΩΤΗΡΙ ΚΑΙ ΕΥΚΛΕΙΑΙ ΕΥΕΡΓΕΤΗ &c.	*VENERI,* *Deæ OPTIMÆ,* *& ſervatrici,* *& inclitæ,* *benefactrici, &c.*

E ΠΑ-

ΠΑΝΑΙΤΙΗ, *Omnium causa*: Hæc sunt, Phurnuti verba: Καλεῖται δὲ Οὐρανία τε καὶ Πάνδημος καὶ ΠΑΝΑΙΤΙΗ, διὰ τὸ κἀν τῷ οὐρανῷ καὶ ἐν τῇ γῇ καὶ θαλάσσῃ τὴν δύναμιν αὐτῆς θεωρεῖσθαι: Hoc est, *Vocatur autem & Cælestis, & Vulgaris, & OMNIUM CAUSA, quòd nempe Veneris potentia, & vis in cœlo, & in mari cernatur.*

ΠΑΝΔΗΜΟΣ, *Popularis*, Vulgaris, Jovis & Diones filia, ex Platone, *in Sympos.* Id nominis habet, quòd ad forum antiquum posita est, in quo solet πᾶς δῆμος *universus populus* ad conciones confluere, quas ἀγορὰς vocant: Narrat Athenæus, l. 13. *primum Solonem propter juvenes ætate vigentes, mulieres emptas prostituisse in ganeis, & ex meretricum quæstu in prostibulis, VENERIS VULGARIS*, ΠΑΝΔΗΜΟΥ *templum primum extruxisse*. De ea Oppianus, *in Cynegetico*, à 390. Lycophron secundam nuncupat VENEREM publicam, ad honorem URANIÆ quæ prima est. De ea Pausanias, *in Bœoticis*.

ΠΑΝΘΕΑ Venus dicta est, quæ omnino Deorum vires in se contineret: Drusillam Caligulæ filiam ita nuncupatam habemus ex Dione, l. 59. *Decreta ei omnia, quæ Liviæ insuper ut immortalis haberetur, aureaque in curia effigies ejus poneretur, ut in foro imago Veneris, statuæ ejus æqualis, collocaretur, iisdemque honoribus coleretur*: Et mox: *Itaque tunc PANTHEA vocata est, & divinis honoribus per omnes Urbes culta*. Τότε τε ΠΑΝΘΕΑ τε ὀνομάζετο καὶ τιμῶν δημοσίων ἐν πάσαις ταῖς πόλεσιν ἠξίετο, Ex Sophocle;

Ὦ παῖδες, ἤτοι Κύπρις οὐ Κύπρις μόνον
Ἀλλ' ἐστὶ πάντων ὀνομάτων ἐπώνυμος,
O pueri, certè Venus non solùm Venus est,
Sed omnium particeps nominum, &c.

PAPHIA, a Papho Cypri Urbe: In nummis & lapidibus: Eadem ac ΟΥΡΑΝΙΑ. *In Cyprum Agapenor Paphum urbem coloniam deduxit, & in ea Veneris fanum erexit, cùm ante apud Cyprios Dea hæc in medio oppido, cui* Golgi *nomen, coleretur*. Hæc Pausanias, *in Arcad.* De eadem Tacitus l. 2. hist. c. 2. cujus *Simulacrum non est effigie humana, sed continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum, metæ modo exurgens*. Idem docet Max. Tyrius. *VENUS a Paphiis colitur, cujus insigne nulli rei magis assimile, quàm albæ pyramidi.*

ΠΑΣΤΟΦΟΡΟΣ Venus quæ thalamis præest. Inde Sacerdotes παστόφοροι qui thalamum seu velum portabant.

ΠΕΛΑΓΙΑ, a pelago, seu mari, ac ideo Ἀναδυομένη eleganter a Pausania nuncupatur, Ἀφροδίτη παῖς θαλάσσης: *Venus filia maris*. Hinc apud Horat. od. 26. l. 3. MARINA Venus: & od. 11. l. 4. Θαλασσαίαν Ἀφροδίτην commemorat Musæus, in Leandro & Her. PONTIA & LIMENA quasi Portuna nuncupatur a Pausania, in Corinth. & ab Hesychio Ἐπιποντία *cujus signum è candido lapide, magnitudine & opere insignissimum. Inter cæteros qui habentur Deæ ab Hermionensibus honores, ea religio observatur, ut Virgines, quin & viduæ, quæ in viri manum conventuræ sunt, rem ei divinam ante nuptias faciunt*. Egregium est Artemidori inventum, ὄνειρον, l. 2. c. 42.

VENUS

VENUS MARINA naucleris & gubernatoribus & omnibus navigantibus bona observata est.

PEREGRINA Ξείνη, ab Herodoto, *l. 2. c. xii.* dicta est, quam apud Proteum Ægypti Regem Sacerdotes prædicant diversatam esse: HOSPITAM inde appellant, & ad Helenam Tindari filiam, Menelai uxorem, ab Alex. Paride raptam referunt. Etiam a Lycophrone *in Cass.* celebratur, atque etiam in lapidibus antiquis.

PHYSICA, in lapide antiquo, naturalibus γεννητικοῖς μορίοις, utriusque sexus præesse putabatur. Pars corporis nostri secretior φύσις *natura* dicitur, verecundiæ causâ: Vide Plinium, *l. 20. c. 6.* παιδοποιὸν φύσιν Damascenus appellat, quod alii Græci ἀναγκαῖον, ἱερὸν, ἀνδρείαν, & Latini *radium, colum, virilitatem*. Eustathius, *ad Odiss.* Ω. Reinesius inscriptionem refert & explicat. IMPERIO VENERIS FISICÆ &c.

PLACIDA, in lapidibus ant. Grut. *p. 59. 9.* Ejus ædicula & vicus fuit in urbe regione v.

ΠΛΙΝΘΙΑ sive EN ΠΛΙΝΘΩ. Referente Pausania, *in Arcad. VENERIS ædes est, quæ in laterculo appellatur, quòd in foro sit, laterculi figuram præ se ferente.*

PONTIA, *vide* PELAGIA.

ΠΟΡΝΗ, *Meretricia*, cujus *delubrum erat Abydi*: ΠΟΡΝΗΣ δὲ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ἱερόν ἐστι παρὰ Ἀβυδηνοῖς. *Nam cùm ista civitas Macedonum servitute premeretur, custodes præsidiarii aliquando sacro peracto, temulenti, multas suæ commessationi meretrices adhibuerunt: è quibus una sopitos illos conspicata, furtim avectis portarum clavibus, muros transgressa, id Abydenis significavit: qui extemplò correptis armis, & concursu facto, præsidiaris occisis, muris potiti, libertatem recuperârunt, & meretrici gratiam ut redderent, templum MERETRICIÆ VENERIS extruxerunt*: Hæc Athenæus, l. 13. cap. 14. & seqq. Hanc eandem AMICAM sive ΕΤΑΙΡΑΝ, ab Atheniensibus dictam fuisse, docet idem Athenæus, ἢ ἀπὸ τῆς παρ' Ἀθηναίοις καλουμένης ΕΤΑΙΡΑΣ τῆς ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ. De illa scripsit Apollodorus Atheniensis, *in libro De diis*, ad hunc modum: *Amicam* ΕΤΑΙΡΑΝ *Venerem appellant, quoniam amicos & amicas, idest benevolas, in unum congregat. Quamobrem etiam nunc ingenuæ matronæ ac virgines, amicas illas vocant, cum quibus familiaritate ac necessitudine conjunctæ sunt*: ἑταίρας *vocant meritorias fœminas, &* ἑταιρεῖν *mercede corpus vulgare, non ad significatus proprietatem referentes, sed ut honestior sit nomenclatura.*

ΠΡΑΞΙΣ, PRAXIS. Μετὰ δὲ τὸ Διονύσου τὸ ἱερόν ἐστιν Ἀφροδίτης ναὸς. ἄγαλμα δὲ ἐλέφαντος· ΑΦΡΟΔΙΤΗ πεποιημένον ΠΡΑΞΙΣ ἐπίκλησιν. Hoc est, *Prope Bacchi templum, adest & VENERIS, cujus signum ex ebore. Dea cognomen*, PRAXIS: Pausanias *in Atticis*.

PYRENÆA Venus templum habuit in limite Narbonensis Galliæ atque Hispaniæ. ΠΥΡΗΝΑΙΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ *templo cultam* nuncupat Strabo *l. 4.* & Ptolomæus, *l. 2. c. 5.* Promontorium Pyrenæ, *Venereum* idem memorat, quod & Massiliense dicitur, vulgò, *Cap. de Creutz.*

PYTHONICE seu PYTHIONICE Venus dicta est à cognomine formosa meretrice, teste Theopompo.

ROMANA delubrum habuit in via sacra. De ea Prudentius, *in Symmachum*.

SAMIA Venus, *quam in arundinibus ἐν καλάμοις quidam vocant, alii in paluſtribus ἐν ἑλωτικοῖς ædem habuit in Samo: eam meretrices Periclem secutæ, cùm obsideret Samum ædificaverunt, ingenti quæstu prostitutâ formâ, dicatæ*. Hæc Athenæus, *l.* 13. *cap.* 4. Quoniam, inquit Casaubonus, *VENUS iſta in ea parte Sami fuerat dedicata, ubi Pericles castra metabatur: ad littus nempe maris, ubi erant paludes, & in iis arundineta*, unde hæc ejus ἐπίθετα.

SANCTA, in Inscript. Gruter. *p.* 102. Eadem fortè quæ ALMA.

SCHOENIS Venus a juncis dicta est: Σχοῖνος *juncum* designat, ad juncturas utilem.

SOCIALIS, seu ΣΥΜΜΑΧΙΑ, de qua ita Pausanias *in Arcad. Mantinea à tergo theatri reliqua adhuc sunt templi vestigia, quod* VENERI *olim dicatum fuit SOCIALI, & in eo signa quædam. Indicat basis inscriptio Nicippem Paseæ filiam dedicâsse. Templum erexêre Mantinenses, quo monumentum esset posteris, ipsos cum navalis ad Actium pugna committeretur, in Romanorum fuisse partibus*. Jupiter etiam SOCIALIS sive Sodalitius apud Athæneum legitur, *l.* 13. *cap.* 4. cui Etæridia festa celebria sunt apud Magnetes. *vide* ΠΟΡΝΗ.

SPONSÆ, seu ΝΥΜΦΑΣ mentionem facit Pausanias, *in Corinth.* ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ἐστὶν ἱερὸν ΝΥΜΦΑΣ, ποιήσαντος Θησέως ἡνίκα ἔσχε γυναῖκα Ἑλένην. Hoc est, VENERIS SPONSÆ *cella est, à Theseo, cum Helenam uxorem duxisset, ædificata*.

STRATONICE apud Tacitum, *l.* 3. & in Decreto fœderis prævio, inter Smyrnæos Magnetesque, *inter Marmora Oxoniensia, pag.* 5. & 6. Cujus hæc sunt verba. *Deum Antiochum, & matrem patris Deam Stratonicem, a Smyrnæis consecratos & honoribus egregiis honoratos, tum publicè a plebe, tum privatim ab unoquoque civium: illumque sancivisse fanum* VENERIS STRATONICIDIS *inspoliatum fore*, &c. Ἱερὸν τῆς ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΙΔΟΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ. Quin & eodem fœdere Smyrnæi cogebantur jurare *per Terram, Solem, Martem, Minervam Martiam, Dianam, Matrem Sipylenem*, VENEREM STRATONITIDEM, *& reliquos Deos Deasque*, &c. ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ τὴν ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΙΔΑ. Quin columnas, in quibus descriptum erat fœdus, conservaturos se in VENERIS STRATONICIDIS fano, Smyrnæi, ut Magnetes, in fano Dianæ Leucophrinæ ad Meandrum, polliciti sunt. Venerem illam quid vetat eandem censeri ac Cœlestem seu ΟΥΡΑΝΙΑΝ, cujus Sacerdos magna fuit MARCELLINA? Illam enim Astartem Deam Syriam, Assyriam & Hieropolitanam, eandem fuisse meritò opinamur

STRENUA, *vide* MURTIA.

ΣΥΜΜΑΧΙΑ, *vide* SOCIALIS.

ΣΩΤΗΡΑ, *Servatrix*, in lapide ant. apud Gruterum, *p.59*.

THALASIA, *vide* PELAGIA.

ΘΥΜΒΡΗ, *ardens* dicta est Venus, ob fervorem libidinis, maximè extra speciem: Eò ferebatur Semiramis erga equum, Pasiphea erga taurum &c. ΘΥΜΒΡΗΣ ΚΥΠΡΙΔΟΣ ἁρμονίην commemorat Callimachus, *ardentis Veneris harmoniam*.

ΤΡΟΙΖΗΝΙΑ. *Troezenia* Venus a' Lycophrone memoratur, *in Caß.* cui templum Phædra Troezenes Regina dedicaverat: adi Pausaniam, *in Corinth.*

VERECUNDA. Eadem est opinor, ac NIGRA & ΜΕΛΑΙΝΗΣ.

VERTICORDIÆ VENERIS ædes extra portam Collinam in via Salaria fuit, cùm tres Vestales unò tempore incestum commisissent, quemadmodum Jul. Obsequens ait, ut lascivos puellarum animos ad castitatem verteret. Vide Valer. Maximum, *l.8.c.15.* & audi Ovidium, *l.4.fast.*

Roma pudicitiæ proavorum tempora lapsa,
Cumæam veteres consulvisti exstructa, anum.
Templa jubet Veneri fieri, quibus ordine factis,
Unde VENUS, VERSO nomine, CORDA tenet.

VICTRIX. In nummis & lapidibus ant. a vincendo dicta est: *Ædem ipsi dedicavit Pompejus altero consulatu, editis sumptuosissimis ludis, in regione ix, seu Circo Flaminio*. Plutarc. *in ejus vita*. Plinius *l.8.* Superbas Veneris victorias docet hoc Epigramma, Deæ simulacro impositum Romæ. Vide Gruter. *p.60*.

Sol calet igne meo, flagrat Neptunus in undis,
Pensa dedi Alcidæ, Bacchum servire coegi,
Quamvis liber erat, feci servire Tonantem,
Quamvis liber erat, Martem sine Marte subegi.

Et hinc præcipuè Veneris victoria est, quæ blanditiis, & delinimentis muliebribus summum belli ducem seduxisse videtur, qui gladio quasi è manibus excusso, unguentis delibutus, rosis myrtoque coronatus, in Veneris castris postea litaverit. Eo more Romani Faustinæ F. adulantes, hanc in Veneris habitu, galeatum Martem vincentis effinxerunt, scilicet M. Aurelium, cujus superbum extat monumentum inter Ser. Reipublicæ marmora, supra monetariam officinam, *la Zecca*, cum hac basis inscriptione, VENERI VICTRICI.

ΥΠΕΡΧΕΙΡΙΑ, *vide* JUNO.

ΦΙΛΟΜΗΔΗΣ dicta est Venus ab Hesiodo, in *Theogon*: ὅτι μηδέων ἐξεφάανθη, hoc est, τῶν αἰδοίων, *quòd ex genitalibus nata sit*. Dicta est etiam ΦΙΛΟΜΕΙΔΗΣ *hilaris* & φιλόγελως *risum amans* ut apud Homer. *Iliad.2.* Ita apud Horatium, *od.2.* *Erocina ridens*. Vide ΟΥΡΑΝΙΑ.

ΦΩΣΦΟΡΟΣ, *Lucifer*: Vesper: quintus est planetarum, ὃν ἈΦΡΟΔΙΤΗΣ προσαγορεύουσι, *quem VENERIS dicunt*, & conciliatricis luminum. Hæc quippè stella omnium est splendidissima. Audiamus Suidam:

ΦΩΣΦΟΡΟΣ ὁ τὸ φῶς ἀνατέλλων· ὁ Ἥλιος. Pro Luna, Lucina, & Venere accipiebatur. Rem explicat Plinius, l. 2. c. 8. *Infra Solem ambit ingens Sidus appellatum VENERIS, alterno meatu vagum, ipsisque cognominibus æmulum Solis, & Lunæ. Præveniens quippè & ante matutinum exoriens, LUCIFERI nomen accipit, ut Sol alter diem maturans: Contra ab occasu refulgens, nuncupatur VESPER, ut prorogans lucem, vicemque Lunæ reddens.* Et paulò pòst: *Alii enim Junonis, alii Isidis, alii Matris Deûm appellavere.* Apud Bionem, *in Bucol.*

Ἕσπερε τᾶς ἐρατᾶς χρύσεον φάος Ἀφρογενείας, καὶ τ. λ.
O Vesper amabilis, aurea lux Veneris,
Chare vesper, cærulea noctis imago sacra, &c.

ΟΥΡΑΝΙΑ, *Cœlestis*. Venus hæc ΟΥΡΑΝΙΑ nuncupata est, quòd Cœli filia esset absque matre: AMOREM illa peperit, purum sine ulla corporis cupiditate, sine ulla labe, sed qualis esse debet erga Deum, patriam, liberos, & viros benemeritos. Duas Veneres celebrat Plato, *in Sympos.* Πῶς δὲ οὐ δύο τὼ θεὼ καὶ τ.λ. Hoc est, *quomodo non essent duæ Deæ? Altera siquidem antiquior & sine matre, filia Cœli existit, quam COELESTEM nominamus: Altera junior, Jovis & Diones filia, quam vocamus Popularem.* Utramque Venerem Cœlestem & Popularem celebrat Pausanias, *in Æliacis, l. 6.* his verbis: *Est porticus, quæ de manubiis Corcyreorum erecta fuit, Veneris ædes. Area templo sacrata sub divo non longe abest. Quæ ibi colitur, COELESTEM VENEREM vocant, ΟΥΡΑΝΙΑΝ: Ejus ex ebore & auro signum est, Phidiæ opus; altero quidem pede testudinem premit. Area ipsa maceria est circumsepta, intra maceriam crepido, super qua VENERIS quam POPULAREM nominant ΠΑΝΔΗΜΟΝ, signum ex ære, capro insidet, ex eadem fabricato materia, Scopæ opus, &c.*

Cùm variæ Veneres fuerint, varii etiam eorum cultus & ritus sacrorum: VENERI COELESTI, ΑΦΡΟΔΙΤΗ ΟΥΡΑΝΙΑ *vinum offerre in sacrificiis minimè licuit*: Ut testatur Polemo, forte ad distinctionem τῆς πανδήμου seu *popularis*, quæ Baccho delectabatur. Ejus sunt hæc verba. Ἀθηναῖοί τε γὰρ ἐν τούτοις ἐπιμελεῖς ὄντες καὶ τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ὅσιοι νηφάλια μὲν ἱερὰ θύουσι, Μνημοσύνῃ, Μούσαις, Ἠοῖ, Ἡλίῳ, Σελήνῃ, Νύμφαις, ΑΦΡΟΔΙΤΗ ΟΥΡΑΝΙΑ, Hoc est, *Athenienses harum rerum observandarum studiosi, & in sacrificiis Deorum faciendis diligentes, Nephalia sacra faciunt Mnemosynæ, Musis, Auroræ, Soli, Lunæ, Nymphis,* VENERI COELESTI. Nephalia autem à sobrietate dicta sunt, quoniam vinum omnis prope intemperantiæ fundamentum in illis nesciretur. *Populari capra candida mactari solebat,* COELESTI *juvenca.* Θύσαι μὲν τῇ ΠΑΝΔΗΜΩ θύσει λευκὴν μηκάδα τῇ ΟΥΡΑΝΙᾼ δὲ δαμάλην ἑκατέρᾳ. Plutarchus Lucianusq; docent, VENERI POPULARI, ΑΦΡΟΔΙΤῌ Τῌ ΠΑΝΔΗΜῼ templum Athenis exstructum fuisse à Solone, quò ferretur juvenum libido, de quo vide Lucianum, *in dialog. meretr.* & Pausaniam, *in Atticis.*

VENE-

VENERIS URANIÆ propter Sosipolim templum fuisse refert Pausanias l. 7. *cujus adhuc rudera monstrabantur: Sacra certè & nunc fiunt ad aras*. Florebat autem Hadriani temporibus, quod marmor nostrum non parum illustrat.

Ægiratæ præ cæteris Diis religiosissimè COELESTEM VENEREM *colunt, in cujus ædem penetrare viris nefas. In ejus verò quam Syriam nominant Deæ, non nisi statis diebus intrant, ubi se & reliquis certo ritu expiationibus, & victus præcipuè moderatione, lustraverint*: Τὴν δὲ ΟΥΡΑΝΙΑΝ σέβουσι μὲν τὰ μάλιστα. Ἐσελθεῖν δὲ ἐς τὸ ἱερὸν οὐκ ἔστιν ἀνθρώποις, καὶ τ. λ. Ex Pausania, *in Achaicis*. Narrat idem Pausanias l. 3. *In Cythera* (insula quæ hodie *Cerigo*) *fanum esse URANIÆ sanctissimum, & omnium, quæ VENUS apud Græcos habet antiquissimum: ipsius autem Deæ, signum armatum est*. Ἐν τῇ Κυθήρᾳ ἱερὸν ἐστι τῆς ΟΥΡΑΝΙΑΣ ἁγιώτατον, καὶ ἱερὸν ὁπόσα ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ παρ' Ἕλλησιν ἐστιν ἀρχαιότατον. Porrò in Urbibus primùm cultam hanc Deam non fuisse constat ex Herodoto, *l.* 1. *c.* 5. qui antiquissimam Deam VENEREM ΟΥΡΑΝΙΑΝ seu COELESTEM, Cœli filiam sine matre memorat his verbis. *Medi cum Scythis congressi prælioque fusi, Asiæ imperium amiserunt. Scythæ universa Asia potiti, hinc rectâ in Ægyptum contendunt: Quibus jam Syriam Palestinam ingressis, Psammiticus occurrens Ægypti rex, muneribus precibusque effecit ne ulteriùs progrederentur. Scythæ ubi retrocedentes, in Urbe essent Palestinæ Ascalone, bonaque parte Scytharum nullam injuriam inferente, pauci aliquot relicti, VENERIS URANIÆ fanum depeculârunt*. Ἐσύλησαν τῆς ΟΥΡΑΝΙΗΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ τὸ ἱερόν: *Inter cætera hujus Deæ antiquissimum*: In quo colebatur celeberrima statua VENERIS URANIÆ, manu Alcamenes, illustris Phidiæ discipuli: *Siquidem quæ in Cypro est ejusdem Deæ ædes, ex hac prodijt, id quod ipsi etiam Cyprii referunt. Quin etiam illud apud Cytheræ delubrum, Phœnices ex hac Syriæ regione orti, condiderunt. Ac vero Dea ipsi templi spoliatoribus, eorumque posteris morbum immisit fœmineum, quemadmodum & ipsi fatentur Scythæ, se videlicet illo morbo ob id laborare, & videre licet apud Scythas hunc morbum curantes, quos ENAREAS appellant Scythæ*.

Medico mihi, opinor, condonabitur si nonnulla ex arte mea deprompta ad hujus loci interpretationem proferam. Qui ἐνάρεας ab Herodoto vocantur, quasi *evirati*: Hippocrates, *l. de aere, loc. & aq.* ἀνανδριεῖς nuncupat, quasi *effœminatos*, de quo vide Mercurialem, *var. lect. l.* 3. *c.* 7. Nihil convenientius spretæ VENERIS COELESTIS vindictâ de Scythis acceptâ, postquam vix viri, sed in totum effœminati, languerent fortissimi homines. Quis tandem ille morbus sit, multos dubitare animadverti, non audentes Syphilidem seu luem Veneream accusare, quam morbum novum pertinaciter asserunt. Publicè porrò docuimus nuper, & mille argumentis probavimus, ut nullum nobis supersit dubium, hunc morbum a Græcis, Arabibus & Latinis cognitum fuisse, virulentis suis symptomatibus stipatum, defluvio capillorum,

pillorum, ulceribus, carie, gummatibus, nodis, gonorrhæa, cruciatibus nocturnis, febricula, macie, venereis thymis, phymatibus, aliisque molestissimis libidinosorum flagellis: Nec nobis defuerunt autoritates ex textu sacro, classicis seu melioris notæ omnium nationum medicis, Hippocrate, Celso, Plinio, Avicenna, ut de cæteris taceam: At quia illius curatio quasi velo obumbrabatur, nobis tandem summo Dei beneficio reserato, ideo *novus* censebatur morbus, quoties summè recrudescebat. Sed satis de COELESTIS VENERIS vindicta.

Athenis aderat VENERIS COELESTIS delubrum, ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΟΥΡΑΝΙΑΣ, *quam primi omnium Assyrii coluere, à quibus Paphii in Cypro acceptum, sacrorum ritum cum Phœnicibus, qui in Palæstina Acalonem urbem incolunt, Phœnices eum Cythereis communicârunt. Athenis verò eam religionem induxit Ægeus, cùm Veneris ira, & sibi prolem non obtigisse, & sororibus calamitatem immissam putaret. Quod ætate nostra* (hoc est centesimo post Christum anno) *extat Deæ signum ex Pario marmore, Phidiæ opus*. Hæc Pausanias, *in Atticis*. Id etiamnum testantur ejusdem templi reliquiæ, non procul à custodia publica, seu carcere dicto φυλακὴ; Barbaris Turcis pro Moschæa est, quam omnes VENERIS URANIÆ templum nuncupant, ab Ægæo conditum, ab Imperatore Hadriano reparatum. Ut olim Julius Cæsar, VENERIS, seu genetricis, seu armatæ, seu Uraniæ imaginem secum perpetuò gestabat, id de Asclepiade philosopho narrat Marcellinus, l. 22. *DEÆ COELESTIS, seu VENERIS URANIÆ argenteum breve figmentum, quocunque ibat, secum portare solitum esse*.

Ægyptii Astronomi VENERI COELESTI smaragdum dicaverunt, virginitatis indicem, ex Horo Apolline: Hunc enim in concubitu frangi autumabant: neque quidquam cœlitùs animis mortalium infundi docet Plato, nisi purum & honestum, quod VENERI COELESTI smaragdoque convenit.

COELESTEM VENEREM ornat cestus tunicæ species, ut supra diximus *p.* 374. Κεστὸν ἔχει τῷ μόνῳ τὴν ΟΥΡΑΝΙΗΝ κοσμέουσι; inquit Lucianus, *Cestum habet, quo solam COELESTEM ornant*.

VENERIS URANIÆ, seu COELESTIS, ejusque Sacerdotis memorat vetus Inscriptio à Reinesio vulgata, *p.* 359.

ΔΙΟΔΩΤΟΣ ΤΙΤΙΕΛΟΥ	*Diodotus Titieli* filius.
ΑΠΤΕΙΡΑΙΟΣ ΤΑΝ ΑΔΕΛΦΑΝ ΑΥΤΟΥ	*Aptiræus, sororem suam*
ΜΙΝΥΡΑΝ ΑΡΤΕΜΟΝΟΣ.	*Mimyram Artemonis* filiam
ΙΕΡΑΤΕΥΟΥΣΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΑΙ ΟΥΡΑΝΙΑΙ.	*Sacer. VENERIS COELEST.*

Quo loci prudenter animadvertit ill. Gilb. Cuperus, recondita eruditione quàm dignitate spectabilior, & Bataviæ decus, non *filiam*

liam ut vulgò creditur, ſed *uxorem* eſſe intelligendam; Ita Hectoris Andromache, Meſſalina Claudii, Sabina Hadriani. Plura vide in ejus *Harpocrate*, *p.* 127. quem hodie receptum & bona fide his ſub prœlo ſudantibus, illicò devoravimus. Hæc eadem VENUS COELESTIS nominatur alibi, *p.*242.

Videtur & alia inſcriptio VENERI COELESTI ſacra: Porrò Lipſius ad Livillam Caligulæ filiam refert, cui VENERIS iſtius & PANTHEÆ ἐπίθετον tribuebat veſanus pater.

VENERI COELESTI AUGUSTÆ
SACRUM
NUMMIA C. F. DORCAS
S. P. F. C.

COELESTIA aliquando nuncupata ſunt alia Numina, Juno, Diana, Fortuna, Bona Dea ſanctiſſima, ut ex nummis & inſcriptionibus manifeſtum eſt: An ut differrent à terreſtribus, marinis, & infernis? JOVIS COELESTIS mentionem facit Hippocrates noſter, *l. de inſom. ſect.* 4. his verbis: *Diis ſupplicationes decernandæ ſunt: Ad res quidem proſperas, Soli, Jovi cœleſti*, ΔΙΙ ΟΥΡΑΝΙΩ, *Jovi Cteſio, Minervæ Eteſiæ, Mercurio, Apollini.* Vidimus etiam inſcriptiones, MERCURIO COELESTI, SILVANO COELESTI.

Abſint à COELESTI VENERE, ea ſacra ἀφροδισία quibus ſolebant nova meretricibus tunc primum quæſtum corpore facientibus nomina imponere, ut teſtis eſt Plautus, *in Pœnulo*.

Aphrodiſia, hodie Veneris eſt feſtus dies;
Tua pietas nobis planè auxilio fuit.
Cùm huc adveniſti hodie in ipſo tempore:
Namque hodie earum mutarentur nomina,
Facerentque indignum genere quæſtum corpore.

ΕΡΩΤΙ, *Amori*. Ἔρως aliquando libidinem & Cupidinem innuit; at abſit hunc MARCELLINÆ conjungere, VENERIS URANIÆ Sacerdoti, præſertim cùm ΟΥΡΑΝΙΟΥ COELESTIS ἐπιθέτῳ conjunctus eſt. Mallem illum interpretari pro ἀγάπῃ, φιλίᾳ dilectione, charitate, & benevolentia. *AMORIS ſi ſapientiæ ſequamur autores, antiquiſſimum Numen, & cui ſe naturæ debet æternitas*, cùm τὸν ΕΡΩΤΑ Chaos primum omnium emerſiſſe, ex Heſiodo conſtat, *in Theogonia*.

Πρώτιστα μὲν ΕΡΩΤΑ, Θεῶν μητίσατο πάντων; Phædrus, apud Platonem, *in Sympoſ.* Ὅτι μέγας θεὸς εἴη ὁ ΕΡΩΣ, καὶ θαυμαστὸς ἐν ἀνθρώποις τε καὶ θεοῖς. *Quoniam magnus Deus AMOR, & mirabilis apud homines, Deoſque*: Et alibi; φήμι ἂν ἐγὼ πάντων θεῶν εὐδαιμονεστάτων ὄντων ΕΡΩΤΑ κάλλιστον ὄντα καὶ ἄριστον.

Hoc

Hoc est, *Ego sane censeo, Diis omnibus felicibus existentibus*; *AMOREM illis esse feliciorem, cùm & pulcherrimus sit*. Et apud Athenęum, lib. 13. *Omnium Deorum hic natus est mortalibus, suavissimus*: Οὗτος ὁ Δαίμων πάντων ἥδιστος ἔφυ θνητοῖς. Principium rerum, paterque censebatur omnium, quæ sunt & erunt per quem omnia nascuntur, ut intelligitur ex columna Ægyptiaca apud Theonem Smyrnæum, & ab eruditissimo Reinesio relata, *pag.* 210.

ΠΡΕΣΒΥΤΑΤΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ	*Antiquissimus Rex*
ΠΑΝΤΩΝ ΟΣΙΡΙΣ	*Omnium Osiris,*
ΘΕΟΙΣ ΑΘΑΝΑΤΟΙΣ	*Diis immortalibus,*
ΠΝΕΥΜΑΤΙ ΚΑΙ ΟΥΡΑΝΩ.	*Spiritui & Cœlo,*
ΗΛΙΩ ΚΑΙ ΣΕΛΗΝΗ	*Soli & Lunæ,*
ΚΑΙ ΓΗ ΚΑΙ ΝΥΚΤΙ ΚΑΙ ΗΜΕΡΑ	*& Terræ & Nocti, & Diei*
ΚΑΙ ΠΑΤΡΙ ΤΩΝ ΟΝΤΩΝ	*& patri eorum, quæ sunt,*
ΚΑΙ ΕΣΟΜΕΝΩΝ ΕΡΩΤΙ	*quæque futura sunt, AMORI.*

Venerantur Thespienses ab initio maximè Deorum omnium CUPIDINEM, cujus est signum vetustissimum, rude quoddam saxum. Qui primus tantos apud Thespienses pro cæteris Dijs honores CUPIDINI habendos censuerit, compertum non habeo. Hæc Pausanias, *in Bœoticis*. Et paulo post: *Thespiensibus ex ære CUPIDINEM elaboravit Lysippus, & ante eum, è marmore Pentelico, Praxiteles*. A Phryne, vel Glycera dedicatus est; *Et propter quem unum, Thespiæ visebantur*, inquit Cicero in Verrem. *In Thespiis Bœotici ludi*: ἐν μὲν Θεσπιαῖς, Ἐρώτια, inquit Pindari Scholiastes *in Olympiad. vii.* Anno 5. celebratorum, meminit Plutarch. *in Eroticis*. Vide p. 388. & 390. Τὰ Ἐρώτια Θεσπιέων ἀγόντων· Ἄγουσι γὰρ ἀγῶνα πεντετηρικὸν, ὥσπερ καὶ ταῖς Μούσαις καὶ τῷ Ἔρωτι, φιλοτίμως πάνυ καὶ λαμπρῶς. Hoc est, *Amatoria agentibus Thespiensibus: Nam certamen quinquennale celebrat, ut Musis etiam AMORI magnificè admodum & splendidè*. Ea autem sacra placandis inter conjuges dissidiis, Cupidini fieri, docet postea idem Plutarchus. Illa ea sunt, quæ Ερατίδια malè apud eundem scholiastem leguntur, sed optime animadvertente Jo: Meursio, *in Græcia feriata* Ἐρωτίδια nuncupari debent; de quibus ita Athenæus, *l.* 13. Θεσπιεῖς τὰ Ἐρωτίδια τιμῶσι κατὰ Παναθήναια Ἀθηναῖοι. Hoc est, *Thespienses sacra Amatoria faciunt, ut panathenæa Athenienses*. Unde ferè idem Eustathius, *Comm. Ω.* ad Iliad. Θεσπιεῖς γοῦν ΕΡΩΤΟΣ χάριν τὰ ἐρωτίδια ἦγον, ὡς οἷα τινὰ ὀλύμπια καὶ Παναθήναια.

ΟΥΡΑΝΙΩ, *Cœlesti* seu *Uranio*. Cicero, l. 3. de nat. Deor. docet tres fuisse Cupidines, quorum primus, inquit, Mercurio & Diana natus dicitur: Secundus Mercurio & Venere: Tertius est Anteros, Marte & Venere. Simonides apud Servium, dicit Cupidinem ex Venere tantùm esse progenitum.

Du-

Duplicis AMORIS mentionem facit Plato, *in Sympos.* Ἀναγκαῖον δὲ δὴ καὶ ΕΡΩΤΑ τὸν μὲν τῇ ἑτέρᾳ συνεργὸν, πάνδημον ὀρθῶς καλεῖσθαι, τὸν δὲ ΟΥΡΑΝΙΟΝ. Hoc est, *Necesse est igitur, & Amorem alteram sequentem, vulgarem rectè vocari, hunc verò Cælestem, sive URANIUM*: Ab eo fortasse Plutarchus, in ἐρωτ. *Ægyptii eodem, quo Græci modo, duos faciunt Cupidines, vulgarem unum, qui Πάνδημος est, & alterum Cælestem, qui* ΟΥΡΑΝΙΟΣ: *Tertium censent esse Solem: Venerem valde venerantur*. Hinc cantat Horatius, *od.* 17. *l.* 1. *& od.* 1. *l.*4. *mater sæva Cupidinum*.

Cùm omnes ferè Cupidinem Veneris filium facerent, Sappho ab aliis diffidens, è Cœlo, & Terra natum fingit: vide Interpretem Apollonii, *in l.*3. *Argon.* Ob binos illos Cupidines, duos etiam *arcus* finxit Euripides, *in Iphig. quos intendere quippe solet Cupido, unum prosperum, & vitæ beatæ effectorem; alterum vitæ perturbatorem, & corruptorem*. Τὸ μὲν ἐπ' εὐαίωνι πότμῳ, τὸ δ' ἐπὶ συγχύσει βιοτᾶς. Cœlestem hunc Amorem descripsit Zeno apud Athen. l.13. c.1. *esse Deum libertatis, amicitiæ, concordiæ largitorem, ab eoque nihil aliud expectandum*: Τὸν ΕΡΩΤΑ θεὸν εἶναι φιλίας καὶ ἐλευθερίας, ἔτι δὲ καὶ ὁμονοίας παρασκευαστικὸν, ἄλλου δὲ οὐδενός: *Deum auxiliatorem in iis, quæ ad civitatis salutem spectant venerabilem & ab omni turpitudine semotum*. Τὸν ΕΡΩΤΑ θεὸν εἶναι συνεργὸν ὑπάρχοντα πρὸς τὴν τῆς πόλεως σωτηρίαν, σεμνὸν τὸν καὶ πάντως αἰσχροῦ κεχωρισμένον. Et ille est profectò, ut docet Plato, *in Sympos.* Πάντων Θεῶν εὐδαιμονέστατος κάλλιστος καὶ ἄριστος. *Omnium Deorum felicissimus, pulcherrimus, & optimus. Sic nobis COELESTIS AMOR* ΟΥΡΑΝΙΟΣ ΕΡΩΣ *pulcrorum pulcra specula, mortalia & motibus obnoxia, divinorum, & sola mente cernendorum machinatus, in figuris, coloribus, formisque adolescentium rutilantia ea nobis exhibet, memoriamque his initio inflammatam sensim excitat*. Plutarchus, *in amat. Licet ideò amare, & AMORI tempestivè gratificari*, ex Athen. l. 13. Εἴη καὶ ἐρᾶν δὲ ΕΡΩΤΙ ἐγχαρίζεσθαι κατὰ καιρόν.

Manum de tabula.

FINIS.



ΣΥΝ ΘΕΩ ΚΑΙ ΜΟΥΣΑΙΣ.